













DE MEMORIA ARTIFICIOSA LIBELLVS,

Auctore

IOHANNE AVSTRIACO.

OMNIBVS CVIVSCVNQVE STATVS AVT CONditionis hominibus, præcipuè verò literarum ſtudioſis, Oratoribus, Theologis, Iuriſperitis, atq; iis, qui ad Doctoratus apicem aſcendere ſatagunt, maximè vtilis & neceſſarius.



FRANCOFVRTI,

Ex Officina Typographica Matthiæ Beckeri, Impenſis Hieronymi Megiſeri.

M. DC. III.

INDEX HVIVS LIBELLI.

Tractatus I. De Locis.

CAput 1. De locis maioribus,
2. De locis Terrenis,
3. De partibus minorum naturalium.
4. De locis Artificialibus.
5. De ordine locorũ vniformi, & multiformi.
6. De partib. cubiculorũ & eorũdẽ ordine.
7. Do locis voluntariis.
8. De locis mixtis.
9. De locis collateralibus.
10. De locorum conditionibus.

Tractatus II.

De dictionibus rerum formatarum.

Caput 1. De diuiſione dictionum.
2. De rebus per ſe formatis, item de iis, quæ magnitudine immodica, vel exigua valdè ſunt præditæ.
3. De perſonis cœleſtibus.
4. De perſonis infernalibus.
5. De gentib. vrbibus & perſonis aliis publicis.
6. De perſonis priuatis.
7. De ſimilitudine.
8. De ſcriptura hieroglyphica.
9. De figuris.
10. De effectis.
11 De cauſis & ſimulacris.
12. De ſubiectis.
13. De modis cæteris.
14. De verbis,

Tractatus III.

De dictionibus ignotis & non formatis.

Caput 1. De perfectis dictionibus.
2. De detractatione.
3. De adiectione.
4. De commutatione.
5. De traiectione.
6. De syllabis.
7. De Literis.
8. De placito.

Tractatus IV.

De coniunctis dictionibus.

Caput 1. De poëmatibus.
2. De Sententiis & Legibus.
3. De periodis.
4. De orationibus & concionibus.
5. De historiis & negotiis.
6. De argumentatione.
7. De ratione dictandi.
8. De tempore.
9. De numeris.
10. De formatione particularum citationis maiorum.
11. De formatione particularum minorum.
12. De applicatione dictarum particularum ad locos.
13. De conditionibus figurarum.
14. De remouendis simulacris.

TRACTATVS I.
DE LOCIS.

CAPVT I.

De locis Maioribus.

ARtificialis memoria duabus comparatur rebus, locis & figuris. Nam vt calamo scribens, charta, vt loco, literis & figuris & signis vtitur: Sic is, qui memoria quid artificiali discit, aut aliis tradit, locos vt chartam, figuras vt literas adhibet. De his igitur duabus partibus sermonem institutam. Prius autem quam ad figuras, vt partem longè difficiliorem copiosius explicare aggrediar, de loco quid & quotuplex sit qua fieri potest breuitate agam. Locus est figurarum seu imaginum sedes: locorum alij naturales, alij artificiales. Naturales dicuntur, qui à natura auctore suam traxerunt originem: horum alij maiores sunt, alij minores, qui in suas quoq; partes, vt mox patebit, pleriq; diuiduntur. Maiores, qui alios suo continent ambitu, in elementares & cælestes partior, quorum hi ex sphæris cælesti-

bus, illi ex quatuor elementis componuntur. Minores voco, qui maioribus proxime subiiciuntur: Sunt autem (vt ab inferioribus faciam initium) hi præcipui: Infernus circa terræ centrum firmatus: Terra cuius partes duæ sunt: interior: in qua metalla, lapides, &c. Exterior ipsa terræ superficies plantis animantibusque conspicienda. Sunt & mari suæ partes: prima profunditas eius luto arenoq; repleta: Deinde Medietas, in qua bestiæ marinæ, & pisces grandiores natant. Postrema, eiusdem summitas nauib. sulcata, & procellis agitata. Regio aeris in tres partes præcipuas à philosophis secatur, in infimam, quam aues peruolitant, in mediam vbi nubes, pluuia, nix, fulgura, tonitrua generantur. In supremam, in qua Cometæ, & alia eiusmodi meteora collucent. Ignis quidem & planetarum quilibet vnum modo locum nobis suppeditabit, ipsa galaxia notabilem. Hunc ordinem planetæ cum Sphæris suis sequuntur, Luna cuius Sphæram ex argento solido factam comminiscimur. Diana vestibus argenteis coruscans insidet. Mercurius vestibus colore argento viuo simili infectis, & alatis in modum cursoris pedibus planetæ suo radianti astabit, cuius orbis argento viuo rutilabit. Venus super plane-

planetam suum candore fulgentem erecta stabit, crispis, sparsisq; crinibus, & veste candida Nympharum in morem ornata: Sphæram eius ex ære confictam credes. Planetam Solis cum orbe suo aureum putato, quem Phœbus fulgenti currui insidens moderabitur. Mars armatus ardenti insidens equo, super planetam ignem ferreo suo impositum orbi erit collocatus. Iuppiter in sede, vt Rex hominum atq; Deorum eburneam super sellam posita, sedebit, cuius orbis ex stanno fabricatus. Saturnus senex partim caluus, partim canus planeta, orbi suo plūbea materia non dissimili, tremens & algens insidebit. Saturni sphæras cælum stellatum cōtiguum est, in tot quot nosti sidera, locos partibile. Cælo empyreo partes assignari possunt infinitæ fermè, sicut eas copiosissimè tractauit vir cum omni disciplina politus, tum artis huius author præstantissimus Rosellus.

CAPVT II.

De locis terrenis.

TErrenorum, pro partibus terræ variè consideratis, variæ sunt partitiones. Alium enim locum hemisphærium nostrum constituet, aliud Antipedum: Rursus alium oriens,

alium occidens, alium Meridies, alium Septentrio. Denique est Asia, Europa, Affrica, & America. Partium harum singulæ regiones & prouincias continent, quam plurimas, quarum partes itidem principales duæ sunt, montes & planicies. Locorum huius quemadmodum & illorum fermè alij magni sunt, alij parui: horum rursus minores alij, alij minimi: Magni in terrenos & aquosos distribuuntur: Aquosis flumina, stagna, riui, quibus adduntur fontes, subsunt. Fluminum partes sunt, littora vel ripæ, portus, arbores, salices, frutices, arena, ipsa aqua & ij, qui sub ea natant pisces. Stagnis eædem subiiciuntur partes, Riui ripas, aquæ decursum, pisces pisciumq; gurgites tenent. Fontes origine & aqua ipsa contenti sunt. Terrei ex cultis & incultis, quorum hi saltibus syluis, locisq; aliis sterilibus horrent, illi agris pratisq; ornantur viridibus, constant saltibus, syluis, aliisq; locis incultis arbores, frutices, herbæ, omnisq; generis animantes & horum latibula, nidiq; insunt: quemadmodum agris, arua & horti, quibus itidem arbores, herbæq; consitæ, flores, frumenta, præterea homines & animalia mansueta seu domestica subiiciuntur. Prata quoque gramine, riuis, herbis & florib. rident.

De par-

CAPVT III.

De partibus minorum naturalium.

ANimalium rationis expertium alia sunt maiora, minora alia: Maiora ea sunt, quæ in partes secari possunt. Et horum alia volatilia sunt alia gradientia. Volatilium maiores partes seu loci sunt caput, tergum, cauda, ala, vtraque gradientium quadrupedum, caput, tergum, cauda siue podex, latera. Homo varie diuisus præbet multos locos. Prima diuisione à pede dextro lateraliter ascendendo sunt, pes inferior, tibia, femur, latus, humerus, brachium, lacertus, manus, digiti singuli, gena auris, tempus dextrum: descendendo tempus sinistrum, auris, gena, digiti, incipiendo à minimo sicut in dextra à pollice, manus, lacertus, brachium, humerus, latus, femur, tibia, pes inferior. Secunda diuisione occurrunt vtriusque pedis genua, gremium, seu partes femorum anteriores, pudenda, venter, pectus, guttur, mentum cum barba, os, nasus, vterque oculus, frons, vertex cum capillis, occiput, ceruix, dorsum, nates, os sacrum, poplites. Tertia continet tibia, femur, brachium, lacertum, siue manum dextri lateris

cum capite, & manum, brachium, femur, tibiam, sinistri lateris. Quarta, pedeque manuque dextra, capite sinistra manu, pede sinistro, pectore, tergo, constat. Quinta ventrem, caput, tergum parit. Sexta, caput, pectus, pedes, vel contra. Septima, dextram, pectus, sinistramq́ comprehendit. His addi possunt, aliæ pro arbitratu cuiuslibet diuisiones. Sunt & arboribus suæ partes, scilicet radices, trunci, rami, surculi, flores, folia, fructus, quibus & aues insident. Frutices & herbas maiores, in radices. Montium partes naturales sunt valles cum fontibus, riuis & fluminibus ibidem repertis medietas & cacumen: qui etiam arboribus, feris, ferarumque speluncis, lapidibus & metallis plerunque decorantur.

CAPVT IV.

De locis Artificialibus.

LOci artificiales ab arte sic dicti, in magnos, paruos & minimos distribuuntur. Magnis vrbes, oppida, vici subiiciuntur. Parui ex castellis, ex arcibus, & villis & tabernis & hospitalibus, ex curiis, & priuatis ciuium ædibus: præterea, ex cœnobiis, templis, scholis, officinis: deniq; ex foris diuersis, porticis aliisque

locis publicis componuntur. Partes horum aliæ sunt internæ, externæ aliæ. Externas dico, quæ illis extrinsecus adiacent: vt sunt viæ publicæ, plateæ, pontes, patibula, molendina, horti, lacus, fossæ, valla, mœnia, & his similia multa, tum nominata, tum nomine carentia. AEdificia particularia, ex suis quoq; partibus constituuntur, cubiculis nimirum, quo nomine mansiones & receptacula, quæcunq; cum hominibus familiaria, tum pecoribus rebusque domesticis destinata, comprehendo. Cubiculum vnum quodque in suas partes, scilicet in quatuor parietes vel in angulos potius, & in medium, (quod omitti à plerisque solet) diduco, quæ si columnas, imaginibus, ablutoriis, cistis armariis, scamnis, fornacibus, gladiis aliisque rebus domesticis ornentur, distinguanturq;, tot loca subministrabunt, quot res eiusmodi locum à loco discernentes, in eis repertæ fuerint. Officinæ artificum præter angulos quatuor, multa loca alia variis suis instrumētis effecta, distinctaq; nobis præbent. Quæ quidem instrumenta ob id quoque notatu dignissima sunt, quod figurarum copiam & supellectilem nobis non exiguam suppeditent. Tēpla cæmiteriis, portis, baptisteriis, aris, sepulchris, suggestis, sellis variis,

riis, columnis, epitaphiis, organis aliisq; insignibus venusta sunt. Sacella totidem loca, quot habent angulos, præbent, quibus altaria, mediumque, & illa quæ angulis interiecta sunt, adiiciuntur. Altaria gradibus, candelabris, vexillis, imaginibus, calicibus, libris pulpitis & aliis rebus sæpe adornata notabilia redduntur. Notandum autem est, harum rerum pro locis tot vna formatione sumendas quot negotio nostro suffecerint, aut memoria tueri siue perturbatione potuerint.

CAPVT V.

De ordine locorum vniformi & difformi.

PRiusquam de locis aliis agamus, locorum ordinem, à quo illorum maxime dependet cognitio, proponam. Notandum autem in primis est, naturales locos, quos ab artificialibus supra distinxi, cum his quoad ordinem plerunq; confundi ac permisceri. Ordo est certa locorum dispositio, successiosq; est triplex, naturalis, fortuitus, & voluntarius. Naturalis ille dicitur, quem à primo ortu suo nacta sunt loca, siue naturalia ea sint, siue artificialia. Fortuitus quem casu aut electione libera consequuntur, vt si lapis,

pis, truncus, vel aliud quid casu positum, in locorum numerum, ac ordinem referatur. Voluntarium appello eum, quem nos consilio & voluntate, rei cõmoditatem seu qualitatem cõsiderantes, eligimus. Horum alius, vniformis est, qui reperitur in rebus eiusdem naturæ & speciei, alius multiformis, qui est inter res diuersæ naturæ. His obseruatis ad ordinem locorũ deuenio. Ac inprimis vt à maximis incipiam, loci elementares, & cælestes, eum inter se tenent ordinem, quem in eorum enumeratione capite primo obseruaui. Neque de magnorum id est, regionum, & prouinciarum dispositione quidquam hic lector expectabit, cum ea ex tabulis geographicis, cosmographicisque percipi melius, quam hoc loco tradi possit, quibus hoc adiungendum, & tanquam conditio generalis & primaria locis omnibus conueniens diligenter aduertendum, vt à parte sinistra incipientes, dextram versus in illis colligendis, vsurpandisq; procedamus, siue id recta fiat linea, vt in locis his maioribus plerunque, siue circulari, vt in alis sæpe euenit. Idem esto iudicium de serie maris, stagnorum, fluuiorum, montium, vrbium, vniformi, ex tabulis etiam absque magno labore colligenda. Ædificiorum

autem

autem, arborum, pratorum & aliorum minorum locorum ordinationem monſtrabit, accurata eorum colluſtratio atque contemplatio. Ad multiformem rerum ordinem cognoſcendum, maior omnino labor exigitur: nam licet maiorum locorum tabulæ nobis coſmographicæ præbeant cognitionem, tamen de minoribus in illis contentis, ſiue naturales illi ſint, ſiue artificiales, nullam faciunt vel obſcuram prorſus rationem. Quare perfectam eorum notitiam niſi ſuamet luſtratione comparatam habere poteſt nemo. Generaliter autem loquendo de diſpoſitione illorum, hoc obſeruandum eſt, vt eo quo aut inter ſe, & cum maioribus coniuncti ſunt ordine, in vſu eorum procedamus. Exēpla huius rei, quia prolixa nimis ſunt, prætermitto & viua potius voce quam ſcriptis mihi breuitatem ſectanti explicanda, & declaranda cenſui.

CAPVT VI.

De partibus cubiculorum, & eorundem ordine.

CVm domum intras, hic & cubiculorum & locorum in his conſtitutorum ordo ſeruandus eſt, vt captum à latere ſiniſtro exordium

*ium dextrum versus perducas. Nam cum ta-
s in locis scribendi ratio à mente nostra facta,
i quæ manus in charta vtitur non dissimilis
d eam nos vsus & exercitatio calami reddidit
romptiores. Cubiculum quoduis loca per se
nfert, iuxta numerum angulorum quatuor,
ter quos sinistræ tuæ occurrens primus locum
rimum dabit, tres sequentes locum secundum
rtium & quartum. His adiunges quæ angu-
s interiecta sunt, aliquam constituunt diffe-
entiam, vt sunt mensa, scamnum, fornax &
ia, quibus cubicula plerunque ornari expoli-
q; supra diximus, quorum ordinem quē in-
r se sortita sunt, si tenueris non locorum tan-
um numerum angulis, sed formarum etiam
efectum compensabis. Ex vltimo primi cubi-
uli loco ad primum sequentis te conferes in
uo si loca, vt in primo disposita perpendens ad
ertium, ex hoc in quartum & vltra donec ad
ostremum veneris progrediere. Quomodo si-
nili perlustrato, primo laquearij superioris, pe-
es, vbi scalas & quicquid præterea cubiculis no
abile interiectum inueneris facultati locorum
d iunges.*

*Cubiculis omnibus primæ alicuius plateæ
lomus collustratis, locisque singulis in ea reper
tis,*

tis, diligenter annotatis, ſequentem intrabis; ex hac in tertiam, ex tertia in quartam te recipies: donec ad extremam plateæ lateris ſiniſtri perueneris domum, qua egreſſus, domum eiuſdem plateæ à latere dextro, poſtremam ædificatam intrabis & te toto illo latere dextro geres ſicut & ſiniſtro, vſq; dum ad primam eiuſdem primæ omnium ſitu oppoſito reſpondentem veneris, pariterq; luſtraueris. Quæ in officinis tibi circumeunti ſe efferentib. inſtrumēta, merceſque, quibus referta ſunt, extant, calamo notabis vel menti firmiter infiges, quæ quidem non omnia tibi retinenda perſuadebis, ſed ea tantum, quæ ad locorum tibi ſufficientium diſcrimina facienda ſatis eſſe iudicabis, ex præcipuis, & illuſtrioribus omißis cæteris colliges, collectaq; obſeruabis.

Templum ſubiturus, cœmiterium quid tibi præbeat vtilitatis inprimis conſidera, hinc portam, per quam templum inis, pro loco primo ſumes, mox quæ in pariete ſiniſtro, vel penes eundem reperiuntur notabilia, vt ſunt ſedes, baptiſterium, altaria, & alia quæ ſupra enumeraui rectè diſpoſita circumeundo templum annotabis, donec ad locum dextri lateris vltimum ſiniſtri primo reſpōdentem deſcenderis; ex quo

ex quo columnarum partem sinistram aggre-dere, quibus statuis suis, epitaphiis, aris diligenter distinctis ordine notatis per ianuã chori si huic lateri successerit, ingredere, ibiq; sedib. pulpitiis, libris, pro locorum distinctionibus obseruatis dextram eiusdem partem cum sequentibus lateris dextri columnis simili modo annotato. Tunc quid medietas, quid superiores templi partes, vt chorus & organum tibi conducibile contineant videbis. Continua seu collatera, templi ædificia, vt sacrarium, vt ambitum, dictis adiicere poteris, ita vt loco ianuæ per quam ad structuram talem patet aditus vlteriore relicto, ex citeriore in angulum, Verbi gratia ambitus te primum conferas, ex hoc in secundum, tertium, quartum, area illius si placeat media adiecta, ex qua in templum ad eum quem vltra ianuam ambitus reliquisti locum, te recipies, dictoq; ante modo procedes, & hoc de cubiculis continuis aliis similiter sentiendum.

CAPVT VII.

De locis Voluntariis.

VOluntarios dixi locos ex cæteris, voluntate consilioque selectos, quod sit, cum qui

principales sunt, vel maxime notabiles, vel reliquis tandem institutæ nostræ materiæ longe commodiores, siue eiusdem, siue diuersæ naturæ fuerint, excerpimus reliquis, vt tum minime necessariis omißis, verbi gratia, de sacris rebus dicturus, templi loca, quot sibi sufficere putat, eaque inter cætera splendidiora notioraque desumet: sic de regionibus regiones, de vrbibus vrbes, de arboribus vel floribus hortos eliget, eodem modo de opificibus sermonem habiturus, eorum, de quibus agit, officinas, licet maxime inter se distantes sibi ob oculos statuet: de quibus lectori summopere notandum est, vt in vrbe, in qua moratur, vel moratus aliquando est, opifices 16. 18. aut 20. iuxta literas alphabeti dispositos conquirat. Verbi gratia: Primum aurifabrum, vel alium sub A. litera positum: secundum balneatorem: tertium coriarium, & sic deinceps, quod habere poterit vel necessarios sibi arbitrabitur ordine alphabetico deligat, qui quidem quo sibi fuerint viciniores, eo quoq; instituto nostro aptiores, cum memoria ab vnius ad vlterius officinam facilius transire poßit. Quod si in alphabeti ordinem ac seriem digestos non inueneris dispositionem quam habent succeßiuam ac realem notabis,

tabis,

tabis, nihil de alphabeti ordine cogitans, nec refert multum in vnaue, duabus, an plurib. habitent plateis, si vt officinarum, ita etiam harum retinueris dispositionem.

Templa cum ea, quæ condita sunt digestione studiose abs te connotari hortor & volo. Nam cum loca sunt publica, illorumque cuiuis fere patent aditus, præter quam quod insignia, quibus ornantur, multa variaque nobis exhibeant vtilissima, cæteris annotari facilius possunt.

CAPVT VIII.

De locis mistis.

HActenus de locis puris, superest de mistis, quid dicam. Loci misti partim reales, partim sunt imaginati, vt si in domo quadam magna vel duabus artificum officinas iuxta ordinem alphabeti mente disponamus, ita vt artifices propriis habitib. induti, suisq; instrumētis instructi strenue laborent, quorū ordinē obseruabis, primum depingēdo colore nigro literam supra ianuam initialem opificis, idque vel mēte, vel quod melius est penicillo. 2. artificem quem nosti in tali cubiculo firmiter animo collocando. 3. instrumentorum illius aliquod

supra ianuam ponendo: 4. constituendo ipsum, vel seruum eius sub ianua laborantem. Præterea officinas eiusmodi in vnius vel duorum monasteriorum cellulis (quibus propter earum inter se similitudinem vix vtimur) optime dispones. Denique in vna longa platea, iuxta ordinem, quem supra præscripsi. Eodem res modo se habet cum locis aliis minoribus, vt cum arboribus, hominibus, animalibus terrenis & aereis, quæ ad loca capaciora opera mentis non sine magno emolumento transferuntur. Vt si in cubiculi cuiusdam angulo primo arborem sub litera A. verbi gratia abietem comprehensam mente figas, sub hac animal eiusdem literæ, vt asinum super arborem, literæ eiusdem auem scil. anserem. In angulo proximo arborem B. subiectum similiter animal & auem collocabis, & sic deinceps: in quibus memorandis obseruabis, vt animal primum, deinde arborem demum auem accipias.

CAPVT IX.

De locis collateralibus.

Locis his mistis adiungendi videntur & ij, quos collaterales argumentationibus & auctorum citationibus maxime deseruientes appellamus,

pellamus. Pro his eligenda domus est, cuius cubicula parietibus longioribus & altioribus sunt constructa, in quibus circulares figuras quaternas in formam crucis dispositas formabis. Hæ in vna cubiculi parte in pariete scilicet hoc ordine depingantur, vt tres sint superiores, tres mediæ, totidem infimæ, æquali plane spacio inter se distantes. Quod si tres ordines sumere non placet, duos accipe, vel vnicum tantum, circulosque pro materiæ diuersitate vel auge, vel minue. Pro his homines duos, tres vel plures substituere, provt circa finem declarabitur, non erit incongruum. Hominis enim partes, ad varia commemoranda, sunt omnium fere aptissimæ. De cæterorum locorum vsu notandum hoc est, vt rei maxime proprios deligamus. Cæterum ignorandum non est, cubicula, & alia loca minora rebus omnibus accommodari posse, proindeque sæpius, quam maiora esse vsurpanda.

CAPVT X.

De locorum conditionibus.

REstat locorum proprietates seu conditiones assignare, quarum multæ quidem & à variis variæ sunt traditæ. Sed omissis aliis quæ v-

tiliores magisq; necessaria videbũtur adferam. 1. Vt loca quam plurima nobis conquiramus, quod commode faciet is, qui hactenus de locis à me dicta diligenter considerauerit. 2. Vt habeant quandam ad res commemorandas similitudinem, licet enim rebus omnibus loca fere omnia poßint accommodari, tamen vt ea quæ videntur rei accommodatiores deligamus magnopere studendum est. 3. Oculis, mente vel imaginatione sæpius perlustranda sunt, vt nobis fiant quam notißima. 4. Ordo illorum de quo dixi etiam atq; etiã obseruandus est. 5. Loci inter se diuersi sint oportet. Nam cum erroris mater similitudo sit, diuersitate illorum hic vitandus est. 6. Loci præter minimos omnes, quo magis vicini continuiq; sunt, eo & præstantiores: minimorum vero 5. vel 6. pedum sit inter se distantia, nisi rebus domesticis ornata fuerint cubicula. 7. Loci semel electi, & dispositi, neq; situ neque figura mutari debent. 8. Loci deniq; sint, alti, clari, solitarij, & à rebus nobis inutilibus vacui.

TRA-

TRACTATVS II.

DE DICTIONIBVS RERVM FORMATARUM.

CAPVT I.

De diuisione dictionum.

DIctionum aliæ significant, aliæ non, quarum illæ à nobis intelliguntur, vel omnes vel nullæ: aut partim nobis notæ sunt, partim ignotæ. Hæ ad significationis expertes, cum eadem sit vtrinque memorandi ratio, perducuntur omnes. Earum autem quæ significant, aliæ sunt simplices, coniunctæ aliæ: illæ per se, hæ per accidens ad partes Grammatices pertinent. Significãtium insuper rem aliquam (quo nomine ens omnino cõplector omne) quædam sunt rerũ formatarũ, per se, quædã per accidẽs. Res per se formata dicitur, quæ speciem oculis suapte natura notabilẽ imprimit, vel facile, vt equus, vel difficile vt nox. Per accidẽs formatã dico, quæ suam quidẽ speciem nobis offert non tamẽ per se, sed per aliquod sui, vel per eam

quam mente & industria humana accepit formam, vt si pro sono, campana pro angelo, pictura eius sumatur. Pono dictiones rem aliquam designantes, ad nomen & verbum directe reuoco, ad participium indirecte illis rem nullam denotantibus cæteris orationis partibus, quarum cum vocibus non significantibus eadem formandi ratio est adiectis, dictiones memoriæ formis seu figuris expresse mandantur. Figura est nota, eius quod recordari volumus in loco posita: estque duplex, naturalis, & artificialis: rursus alia perfecta siue immediata, alia imperfecta seu mediata. Perfecta ea est, quæ rem quam repræsentat, immediate significat, vt campanæ forma, ipsam campanam. Imperfecta, quæ aliam ab hac infert, vt eadē sonum. Sed vt ordinem in hac etiam doctrina certum teneamus, dicendum erit primum de dictionibus simplicibus, rem tum perfecte, tum imperfecte significantibus: Deinde de significatione, priuatis & incognitis: demum de coniunctis. Præterea dictiones rerum significantes, cum à duabus orationis partibus contineantur, nomine scilicet & verbo, de illo prius, de hoc posterius præsenti tractatu agam.

CAPVT II.

De rebus per se formatis: Item de iis, quæ magnitudine immodica, vel exigua valde sunt prædítæ.

REm per se formatam appellaui, quæ suam ipsam speciem oculis subiiciat, quæ duplex est, naturalis & artificialis: sub illa substantiæ corporeæ fere omnes, cum accidentibus multis continentur, vt si pro lapide, pyro, boue, homine, ponatur in loco lapis, pyrus, bos, homo, mentis beneficio: sub hac scamnum, tunica, furca, liber, dolium, & alia pene innumera humano ingenio ac arte facta: quæ si forma notabili, quantitateque debita sint expressa, per se ipsa omnia formantur. Inter prædicta reperiuntur quædam magnitudinis tantæ vt loca eorum capacia frequenter non sint: quædam autem ob paruitatem suam nec ad locum aptitudinem habent, non ad memoriam excitandam, vim & energiam, illius generis sunt, cælum terra vrbs: huius musca formica, pulex, &c. In istis igitur formandis. 1. Curandum est, vt figuris sculptis aut pictis exprimantur, vt Sol, Luna, per Solis Lunæue simulacrum, cæstro, vel

penicillo factum. 2. Si partes habens homogeneas per partem sui aliquam exhibentur, vt terra per terræ, aqua per aquæ partem. 3. Ingenij nostri acie vt parua concipienda locisque aptanda sunt, vt sylua parua, mons paruus.

Res quantitatis exiguæ locis attribuuntur: 1. Multitudine sua, vt formica formicarum caterua, apis examine apum. 2. Actione ab homine cum iisdem exhibita, vt apis per hominem mel iis aculeis repugnantibus auferentem, si muscas flabello seruus abiget, pulices vetula capiet & necabit. 3. Magnitudine animo iisdem attributa, vt si muscam instar elephantis, pediculum instar vituli fingamus esse.

CAPVT III.

De personis cœlestibus.

PErsonarum aliæ sunt cœlestes, aliæ infernales, & terrestres aliæ, & harum quædam ad personas priuatas, quædam ad publicas referuntur. De cœlestium igitur personarum notis sic accipe: SS. Trias trina pulcherrima, iucundissimaque facie mirum in modum erit decorata. Pater quidem venerandi senis in aureo solio sedentis, Filius speciosissima viri humana natura vestiti, Spiritus sanctus colum-

bæ can-

bæ candidißimæ. B. Mariæ imago notißima est, Seraphin thronum Dei ordine duplici senis personis alas habentes expandentibus vtrinque constante, circundant. Cherubin scilicet thronum Christi, corono quasi cingentes vestibus aureis, aureisque coronis fulgent. Throni albis vestibus, rubeis maculis distinctis, ensibus & lanceis rutilantibus, in thronis iudices sedentes effinguntur. Dominationibus coronis aureis Chrysolyto fulgentibus, ornatus, lyra, psalterium, cythara, tympanum & alia instrumenta musica tribuuntur. Virtutes vestibus subnigris, sphærisque cœlestibus seu astronomicis ornantur potestates, pallidis vestibus indutis morbis omnis generis curandis impediti sunt. Principatus, regna, prouinciasq; quibus præsunt, in chartis depictas tenent, & demonstrant. Ex archangelis, & angelis erit Michael cum armis, Gabriel cum libro, Raphael cum vnguento, Ex Apostolis D. Petrus cum clauibus, Paulus cum ense & libro, &c. Inter Patriarchas Abraham cum gladio magno: Isaac cum fasce lignorum & ariete: Iacob cum scalis. Noë cum arca lignea, Moses cum tabulis lapideis & fulgentib. cornibus. Samson cum columnis, cum asini maxilla, cum valuis, cum

leone

leone interfecto. Ex Prophetis astat cultu regio & psalterio Dauid. Helias zona indutus pellicea, in curru sedet igneo. Heliseus caluus cum pallio baculoque. Samuel grandæuus, cum olei vasculo. Ieremias cum lapidibus. Daniel cum leonibus. Amos cum veste. Ex martyribus S. Stephanus cum lapidib. Laurentius cum crate ferrea. Clemens cum anchora. Sebastianus cum sagittis. Ex confessoribus, Nicolaus cum tribus maßis aureis. Martinus æquitatis gladio clamydis partem rescindit. Hieronymus rubris vestibus, nudo pectore, saxoq; ornantur. Dominicus cappa & lilio. His & virgines adijcies S. Catharinā martyrem studiosorum patronam cum votis. Agnetam cum agno. Ceciliam cum organis. Margaretam cum dracone. Dorotheam cum sportula floribus plena, cæterum Sanctorum figuras ex historiarum lectione formabis.

CAPVT IV.

De personis infernalibus.

D*AEmones, qui forma pinguntur, ex figuris paßim habitis cognoscere satis promptum est: quapropter de iis nihil hic expectabit lector. His addere potius, quam personis diui-*

nis pla-

nis placet Deorum , Dearumque gentilium ſimulacra, à ſupremo illorum Deo Ioue incipiendo. Hic aquila, ſceptro, fulmine, quercu ſuperbus eſt. Saturnus falce & infante. Mars lancea, Mercurius ala & galero. Apollo phœnice curru aureo, Sole: item coruo & cygno: Lauro & palma, lyra, arcu, ſagitta. Pluto, cupreſſo inſoleſcit. Hercules, claua, leoniſque pelle. Bacchus hedera viteque. Palamedes gruibus. Priapus falce. Pan pino, cornibus, capro. Hymen ſeruis & tædis. Cupido alis, arcu, ſagittiſque flammeis. Iunoni ſuperbiſſimæ pauo, qui etiam ipſe ſuperbus eſt, tribuitur. Veneri columba, cygnus Mineruæ noctua haſta & oliua. Cybeli pinus. Dianæ pharetra & arcus. Napæis flores. Palladi fœnum. Gratiis vinculum aureum. Nymphis cymba & arundines: Suadæ pſittatus. Camœnis inſtrumenta Muſica. Cereri fruges. Parcis lana. Eridi canes. Erynni anguis. Alecto Gorgonium caput. Orcadibus vibices. Satyris cornua capræ.

CAPVT V.

De gentibus vrbibus & perſonis aliis publicis.

GEntes ſeu prouinciæ, regna & vrbes, ſuis quæq; inſignibus impoſitis ab hominibus ratio-

ratione quadam vel nulla dictis. Repræsentantur, vt Germania, vel Germani framea, Galli liliis, Hispani lancea, Angli leone & rosa, Persæ arcu & pharetra, Scythæ fulmine, Macedones Sarissa, Romani aquila, vel pila, Sue Phrygij: Colonienses tribus coronis: Lubecenses aquila duplicata. Florentini leone. 2. Exprimuntur studio illo & exercitio, quo aliquando floruerunt, vt AEgyptij astrologia, Thusci auspicio, Poloni equitatus gloria, Phœnices literarum inuentione, Germani Typographiæ tormentorumque bellicorum, Noribergenses instrumẽtis artificum: sic alij gladiis, alij horologiis, alij rebus aliis conficiendis insignes sunt. Formantur denique tum prouinciæ, tum orbes bonis & opibus quibus abundant, vt Anglia plumbo, Vngaria cupro, Florentina purpura, Ecodium carbonibus celebre est. His præceptis animaduersis, populos, regiones vrbesque alias formare ei qui signa eiusmodi ex illarum chronicis collegerit, atq; annotauerit, facile admodum erit. Personæ officia gerentes per vestes & insignia, cuique vt propria iuncta formantur: vt Papa corona triplici & cruce, Cardinalis rubro, latoque tegmine, Archiepiscopus corona duplici, Episcopus pedo, mitroque, Abbas cruce & infula,

Canoni-

Canonicus pelliceo tegmine, Monachus cuculla, Concionator stola, libroque, Æditum claujum fasciculo & scutica. Sic imperator corona tecta, globoq; imperiali ornatur. Rex vel Regina corona regia, sceptroque. Nobilis, insigni quodam nobilibus familiari, consul fascibus, & securi, Iudex baculo & ense, Senator toga, Miles armis, Lictor loris, malleoque ferreo.

Artifices præterea modis exprimuntur quatuor. 1. Iis quibus vtuntur instrumentis vt sutor formula, sartor fasce, forfice, vlnaue, Molitor lapide molari: Sic textorem radius, tonsorem forpex, Piscatorem rete prodit. 2. Subiecta prodit materia, vt aurifaber auro, Coriarius pelle, Sutor corio, Sartor panno, Mercator mercibus. 3. Per effectus suos iisdem manifestantur, vt pistor per panem, Sutor per calceos, Sartor per vestes, vietor per dolia. 4. Denique per habitus consuetos, vt venatori vestis viridis familiaris est.

CAPVT VI.

De personis Priuatis.

PErsonæ priuatæ tribus modis formantur. 1. Per se ipsæ. 2. Per suas effigies. 3. Per effigiem simi-

ſimilem. Primo id modo fit, quando perſonæ à facie notæ in locis ponũtur, vt ſi Petrus, quem noui à me ipſe in locum mentis beneficio collocetur. Secundo modo contingit, ſi eoſdem ſuis imaginibus ſolis à me viſis exprimam, vt Rudolphum Imperatorem imagine eius à me viſa. Hic modus perſonis cæleſtibus, & aliis ſupra poſitis proprius eſt, quia tales vel per imaginem vel per ſcripta ex quibus illæ formari ſolent, nobis tantum exhibentur.

Ad tertium membrum pertinent perſonæ, quarum formam neque à natura datam, neque ab arte expreſſam vnquam vidimus. Hæ per alias eiuſdem nominis officij dignitatis habitus ob oculos ponuntur: vt Henricus Galliarum Rex, per regem alium à me viſum. Imperator Turcarum per Rudolphum Imperatorem, vel per alium habitu imperatorio decoratum, mihique notum, cui ſi idem cum illo nomen fuerit negotium noſtrum melius habebit, cum nos & nominis, & officij commonefaciant. Et hæc de perſonis dicta ſufficiant. Nunc modos quibus vnum pro altero ponitur, ſubſtantiis cum accidentibus communes, qua fieri poteſt perſpicuitate aperiam. Sunt autem hi. ſimilitudo ſcriptura, hieroglyphica, ſigna, tũ effecta cauſæ

ſimu-

ſimulacra: præterea ſubiecta relata continens locus, genus, ſpecies, de quibus ordine tractabo.

CAPVT VII.

De ſimilitudine.

DE *ſimilitudine dicturus, quot modis vnum pro altero propter eorum inter ſe ſimilitudinem ponatur, nunc oſtendam. Similitudo eſt rerum diuerſarum ſimilis ſubſtantia, vel qualitas, quo nomine accidens quoduis intelligo. 1. Igitur ſubſtantia vna pro alia ponitur ob quam inter ſe ſimilitudinem in ſubſtantia ſpectatam, vt ſi angelus pro anima, terra pro carne, lapides pro oſsibus ſumantur: Sic aëri humor, aquæ ſanguis, igni calor naturalis aſsimilatur. 2. Ob æqualitatem quantitatis continuæ, vel diſcretæ adiunctis aliis quibuſdam ſignis: vt ſi memoranda mihi de Goliath, Dauideque ſit hiſtoria, virum magnum galea haſtaq; munitum pro Goliath, puerum cum funda & baculo rufum, pro Dauide ſumam. Diſcretæ, vt ſi vtriuſq; manus digiti pro decem præceptis ſumantur, vel manus vtraque duo caritatis præcepta ſuggerat. 3. Nonnunquam fit inter relata ſimilitudo, vel eiuſdem nominis,*

vel naturæ, vt inter dominum & dominam, vel diuersi nominis, naturæque, vt inter dominũ & seruum, patrem & filium, &c. Ex quibus noti pro ignotis semper assumuntur. 4. Ostendit inter qualitatis species quam sæpissime. Primo quidem inter habitus, vel dispositiones, duobus fit modis, proprie & improprie. Proprie id fieri dico, quando idem duobus proprie conuenit habitus, vt si pro Iulio Cæsare liberalis, pro Augusto commessator, pro Nerone vel Herode crudelis, pro Penelope pudica mulier ponatur. Improprie hæc similitudo fit, quando habitus quidã, vel qualitas alia duobus inest, huic proprie, illi improprie, ob quam superbum leo, columba simplicem, luxuriosum porcus, inanẽ ostentatorem equus vel pauo nobis exhibet. 2. Huc pertinent qui artibus & scientiis iisdem sunt præditi: nam Aristotelem Philosophus insignis, Bartolum Iurisperitus, Augustanum Theologus, Galenum medicus, Ciceronem orator commode repræsentabit.

Notandum est, authores eiusmodi suis etiam operibus, vel instrumentis quibus vtuntur, notari posse, vt Ptolomæum astrolabio, Aristotelem logicorum libro tibi plane cognito 3. Habitibus denique animæ adiiciuntur virtutes, &

vitia

vitia in rebus aliis qualitatibus suis naturalibus expressa, vt in nardo humilitas, in lilia virginitas, in balsamo gratia, in Smaragdo spes &c. 4. Idem in habitibus corporis obseruatur, vbi pro Niso vel Euriolo pugil, pro Hercule vel Achille fortis non inepte collocabitur. 5. Ob potentiam naturalem aut impotentiam similitudo quoq; accidit, proprie quidē inter obliuiosam & Messalam, qui etiam nominis sui vi & iniuria morbi fuerat oblitus, inter memoria præstātem, & Mithridatē, Senecam aut Hortēsium, improprie vere saxum aut ferrum hominem durum, ciconia pium, muscæ obliuiosum referunt: quæ vt intelligantur plenius, iȷ qui rerum naturales explicant qualitates, peruoluendi sunt libri. 6. Est in qualitatibus patibilibus affectis subinde similitudo, propter quam Ieremiæ vel Racheli lugens, misericors Abrahamo, coruus Aethiopi, absynthiū aloe, cæpa allio, mel mannæ simile est. Et vt verbo rem totam complectar, cuicunque & huius & alterius speciei qualitatum aliqua modo excellenti & notabili admodum inest, id pro re alia simili affecta qualitatibus sumi potest. 7. Huc referuntur animalia bruta, paßionibus subiecta, quæ ob id nobis homines similiter affectos ante ocu-

los sæpe statuunt, vt lepus quia timidus hominem timidum oculis subiicit, Aper quia furiosus furiosum. 8. Vix crebrius & apertius sese ostendit similitudo, quam in forma & figura, ob quam Sus pro apro, canis pro lupo, Gallina pro Perdice sumi possunt. Et hæc de qualitatis categoria: Præterea inter similia quædam referuntur ob actionem aut passionem similem cum proprie, tũ improprie subiectis cõuenientem, proprie vt bouem humeris, portans cum Milone confertur, portas ferens cum Samsone, volans cum Icaro, vel Dædalo, manum in ignẽ cremandam immittens cum Scæuola Romanorum adolescente fortissimo: impropriè, bufo terram deuorans, cum auaro terrenis inhiante opibus, comparatur, sicuti canis ad vomitum rediens, cum peccatore in vitia relabente. Postrema similitudinem & habitus importat, vt si Rex per eum, qui coronam habet, memoriæ suggeratur. Virtutes etiam alias per virgines ceriis ornatas vestibus exprimuntur; sed impropriè, vt fides per virginem niueis vestibus ornatam, crucemque manu ferentem: spes viridibus & anchora: nigris, luctus, cinereis, humilitas.

Descri-

CAPVT VIII.

De scriptura hieroglyphicæ.

AD similitudinem pertinere videtur, AEgyptiorum peruetus scribendi ratio: qui cum literis, tum nondum inuentis carerent, rebus & ad exprimendos animi conceptus, & ad literas dictionesque formandas vtebantur. Quæ quidem scribendi ratio, cum vtilis admodum sit, & huic nostro studio non admodum incommoda, res eiusmodi per se vt notas nos aliarum memores reddentes, in medium proferam. Ponitur ergo iuxta præsens hoc præceptũ, anchora pro fideli aliquo & perfugio extremo, camelus pro pigro, tardoque, aquila pro rege, accipiter pro prædone, canis pro custode, lepus pro timido celeriue. Pari ratione cuculus inuisum omnibus, ex aliis inuidentem iudicat: simia vel canis simulatorem, & parasitum, bufo furem nocturnum, perdix contumeliosum, porcus lasciuum, musca impudentem, columba simplicem & probum. Est præterea inconstanti fœmina, furi molitor, laborioso taurus, superbo ac generoso equus, lupus rapaci voracique non dissimilis. Multa denique alia sunt, quorum hoc pro illo capitur, vt furibundus pro im-

petu, hamus pro fallace, alea vel charta lusoria pro re ancipiti, pluma pro leui, plumbum pro graui, fulmen aut sagitta, pro violeta, arista pro frugifera, platanus pro sterili, malum, aurum, rosa pro grata. Sumitur etiam iugũ pro seruitio, scrupulus pro animi sollicitudine, ensis pro tutore, palma pro victoria, tonitru quoq; per tormentum, fulgur per puluerem tormentarium incensum, Familiam per senem, exilium per carcerem effingere non dubitabis.

CAPVT IX.

De Signis.

SIgnum est rei minus notæ indicium. Est autem duplex aliud naturale, aliud artificiale pertinent ad signa. 1. Regionum, vrbium, populorum, artificum & officia gerentiũ insignia, de quibus supra satis dictum est: 2. Habitus vt diues vel celebris per eum exhibetur, qui vestitu splendido est ornatus, pauper qui laceris vestibus est tectus.

Gestus & motus corporis, vt libertatẽ dextra paßis digitis indicat, tenacitatem sinistra digitis compreßis, sic osculum pacis signum est, mutuus concordiæ amplexus, fames, sanitatis appetitusque auida cibi sumptio. Multæ prætereа aliæ

ea aliæ internæ affectiones gestibus exprimuntur, vt gaudium saltatione, verecundia faciei occultatione, timor membrorum trepidatione: quib. & quatuor sensuum obiecta describūtur, vt sonus arrectis loquenti, vel campanæ aurib. odor naribus retractis admota rosa, pomoue sapor libato poculo, calor manu ex igne subito retracta. Ad quartum signorum membrum instrumenta & destinata, causis vel effectis per se vel per accidēs attributa, referuntur, vt auditus signum auris est, visus oculus, odoratus nasus, balnei cucurbita, pedes fugæ, ganeonis venter, studij liber, laboris instrumenta, sicut auris fidei, memoriæq; per accidens. 5. Huc characteres, quibus in signis zodiaci planetisq; annotandis vtuntur Astrologi pertinent. 6. Eodem referūtur multa alia signa tum naturalia tum volūtaria, proprie vel improprie quid demonstrantia: vt fortis per hominem membris grandioribus & robustioribus, vel per eum, qui clauam ingētem manu tenet, cognoscitur, quidam pertinax per eum, qui collum habet ferreum. Sic Geometria, per circinum, Astrologia, per astrolabium, discordia per dentium rasitatem, honor per sceptrum, gloria per coronam auream offertur.

CAPUT X.

De effectis.

CAusæ cum proximæ tum remotæ per ſe, vel per accidens, acceptæ per effectus, mameriamque ſubiectam & contra ſæpe manifeſtantur. Hinc opus quoduis & materia ſuum oſtendit artificem ſeu auctorem, laborem, diligentiam & alia eiuſmodi ſignificationis, ſic ardorem ſudans, ſitim bibens, famem comedens exprimit, ſicut pulueris vel palearum in aëre circumuolutio ventum, & fila textorem indicant. 2. Effectis adduntur actiones, quæ verè ſecundum multos philoſophos effecta ſunt, & ſuarum nos cauſarum ſæpe memores faciunt. His duobus præceptis, artifices artium, atque ſcientiarum profeſſores, multi habitus atque diſpoſitiones naturalis potentiæ & impotentiæ declarantur: vt lapis hic attrahit ferrum, ergò magnes eſt: ille vtitur aſtrolabio, ergo Aſtrologus eſt. Sic opus vel actio ingenuoſa, ingenuoſum, crudelem crudelis, malum mala, bonum bona prodit: actiones enim qualis quiſque ſit frequenter indicant. 4. Multa alia occurrunt nomina, quorum ſignificatio, niſi præclare adhibeatur actio, notari commode non poteſt, vt

fur

fur nisi abscissio marsupij vel furtum aliud fingatur fieri, difficulter retinebitur memoria. Sic phantasiam seu imaginationem is qui muscas capit, aliamue phantasticam exercet actionem, apte repræsentabit. Sicut confitens sacerdoti vel corpus cineribus aspergens, pœnitentiam, genas percutienti præbens patientiam, obediētiam vinctus ductorem sequens, quamuis duo posteriora per passionem videantur fieri.

CAPVT XI.

De causis & simulacris.

VT effecta causas indicant, sic hæ illorum indicia non raro sunt. Referuntur ad hoc præceptum fere hæc. 1. Naturales potentiæ, & impotentiæ, quæ per subiecta, (de quibus infra) vt per causas efficientes formantur, vt risibilitas per hominem, latratus per canem. 2. Sensuum obiecta, vt si sonus per campanam, clangor per tubam, fremitus per populum intelligatur. 3. Morborum genera qui herbis vt causis contrariis non incommode notantur, de quibus Medicorum libros consule. 4. Quædam alia ad quatuor causarum genera directe vel indirecte pertinētia, vt iustitia per oculum qui

illius causa conseruans est, effingitur, sicut mæstitia per acerbum pomum, voluptas per dulce: Simulacris, quibus & statuas seu picturas complectimur, res multas efformamus, maxime illas quæ nobis visæ nunquam sunt, siue figuras illæ habeant, vt Imperator, siue nullas, vt spiritus. Ad hoc præceptum pertinent 1. Personæ cœlestes. 2. Infernales. 3. Deorum Dearumq; gentilium. 4. Et quæ per picturam tantum accepimus. 5. Res magnitudine excedentes, de quibus antea. 6. Res quædam tum naturales, tum imaginariæ sub aspectum per se non cadentes, vt ventus, vento in tabulo depicto.

CAPVT XII.

De Subiectis.

Subiectum est, cui inest aliud, vt color parieti. Huic subiiciuntur accidentia, & realia & intentionalia, quæ à subiectis, quorum existunt beneficio, nobis ante oculos proponuntur. Cæterum notandum est, subiecta non quæuis ad illa formanda esse assumenda, sed ea tantum quibus vel semper, vel plerunq; vel modo quodam excellentiore conueniunt: idque vel proprie fiat, vel improprie. Ex accidentibus realibus huic præcepto subiecta maxime sunt, quæ ad quan-

quantitatis, vel qualitatis categorias pertinēt, verbi gratia: vt à quantitate incipiam, magnitudinem offeret homo, bos, ouis magnitudinis excedentis: paruitatem grana papauerum, puluis, pulex. 2. Virtutes & vitia per homines, quibus proprie vel improprie conueniunt, sunt exprimenda, vt probitas, sapientia, iustitia, luxuries, auaritia, &c. per eos, qui virtutibus his & vitiis sunt præditi. Hic te lector breuiter admonitum velim, vt personas, animalia, plantas, lapides, & res alias quascunque, quib. accidētia vt dixi, vel semper, vel plerunque vel excellenter insunt, studiose deligas, annotesque vt si hæc occurrerint repetenda statim habeas, quibus tanquam literis exprimas. Cæterum si contingat, vt in virtutibus ac vitiis, artibus & scientiis cōmemorandis personas his ornatas non inueneris incertas, vt certas pones, hoc fere spectans, vt eius status ac conditionis homines eligas, quibus eiusmodi accidentia inesse frequentius solent, vt pro iusto iudex pro fœneratore Iudæus vel mercator, pro honesto ac prudente consul abs te sumetur. Improprie virtutes & vitia quibusdam animantibus inesse, quemadmodum & patibiles qualitates cernuntur, vt prudentia serpenti, feli tristitia,
ira

ira vel magnanimitas leoni. 3. eodem modo potentiæ naturales habent, quæ melius quam subiectis propriis formari non possunt, vt risus homine, latratus cane. 4. Huc pertinent & qualitates patibiles, vtpote nigredo coruo, albedo cygno, dulcedo melli, amaritudo felli, modo insunt eminẽtiore hæc pro illis accipiũtur. 5. Ad hæc quæ formæ accidunt, vt pulchritudo, turpitudoq́; subiectis itidem exprimuntur. 6. Huic denique præcepto multa alia subsunt, accidentia, naturalia & artificialia. Subiectis quoq́; modo conuenientia, vt si fugitiuus per Verrẽ, solus per Phœnicem, appendix per picem, incitamentum per calcar notetur.

CAPVT XIII.

De modis cæteris.

R*Elata hoc loco spectantur quatenus vt accidentia subiectis quibus inhærent, nituntur, quare illorum ope & reliqua formantur. Continens pro contento, sæpe quoque ponitur, vt dolium pro vino, pyxis vnguentaria pro vnguento, atramentaria pro atramento, quin & locus locatum denotat, vt focus vel caminus ignem. Formatur præterea per genus species adiunctis differentiis quibuscunque, vt cupressus per arborem altam & viuentem: balena*

lena per piscem magnum: Achates per lapillum nigrum albis distinctum venis, & similia in quibus genere noto species ignota est. Idem in rebus non naturalibus obseruatur, vt cœnæ te conuiuium ad candelas sumptum, vel epulis apponi tum maxime solitis instructum admonebit: Contra genera sæpe produnt species, vt canis aut bos, vel potius canis cũm boue animal proprietatem naturalem, facultatem risibile, vel ridens. Eodem modo substantia, quantitas & qualitas & cæteræ categoriæ formabuntur: huc denique reducuntur artium vocabula secundæ intẽtionis dicta, vt genus per bipes, species per hominem, subiectum per substantiam, vt cygnum, prædicatum per accidens, vt albedinem efformatam. Antequam ad verbum digrediar, notandum est, synonymorum, item verborum, participiorum & nominum verbalium, præterea concretorum & abstractorum primitiuorum & deriuatiuorum, simplicium & compositorum, ab illorum significatione non recedentium eandem esse formandi rationem: nam quid inter hæc illoque discriminis sit naturalis sui nemo officij memoria facile notabit.

De ver-

CAPVT XIV.

De verbis.

QVemadmodum multa suam ipsa nobis imaginem offerunt nomina, sic verborum non minima pars est, quorum figuras, ab ipsis petimus, hoc obseruantes, vt actiones illorum paßionesque per obiecta clara, & viua, quasi imagine exprimentes, vt carpere per carpentẽ flores, vel poma. Sed vt certum hic quoque viam retineamus, modos in formatione verborum obseruandos: præsenti capite recensebo. 1. Est quo verba formandis actionibus aptissima continentur. 2. Quo verba naturales affectiones sequentia per subiecta sua repræsentantur, vt latrare per canem, boare per bouem, vlulare per vlulam, &c. de quibus Ouid. 3. Quo verba potentiarum externarum per gestus seu per actiones obiectis propriis applicandas declarantur, vt videre per oculos in colorem defixos, audire per aures, instrumento musico adhibitas, gustare per libatum poculum. 4. Potentiarum actiones internarum exprimuntur quod bifariam fit. 1. Per gestus corporis obiectis talem potentiam excitantibus admotis, vt dolere per eum, qui dolentis in morem cir-

cum-

cumtorquet corpus, vulnerib. vlceribusq; plenum, lugere per ante paternum funus plorantem; inuidere per eum, qui vultu tristi felicitatem alterius aspicit, econtra gaudere per eum, qui lætitiam ex calamitate alterius præsente capit. 2. Declarantur per actiones sensuum externorum, vt coniicere per odorari, scire per videre, tenere quid vel capere: clausis oculis quid videre vel tangere velle pro ignorare: sed modus prior est præstantior. 5. Multa verba transitiua ad animum, vel ad res visui non subiectas relata, per visibiles sunt formanda, vt differre negotium seu propositum per instrumenti alicuius suspensionem. Pro his notanda est hæc regula, vt ex Synonymia deligantur verba, quorum significatio proprie spectata sensibus magis patet, quale est in differre, suspendere, in summe studere mouere saxum, in domare frenum iniicere, in laudare extollere, &c. quod in aliis multis obseruatione dignum est. 6. Huic regulæ similis est Metaphora, cuius informandis verbis vsus est frequentissimus: vt abiicere iugum, pro deficere, metiri pro censere seu arbitrari, ardere pro amare, calcar admouere pro incitare, & aliis eiusdem significationis. 7. Metaphoricis dictionibus adiungi

possunt

possunt sententiæ prouerbiales, quibus vt illis etiam sæpe vtimur, vt vmbram fugere, pro timere, metiri quid gnomone pro considerare, manum addere pro alienis se negotiis implicare duabus se fulcire anchoris, pro subsidium habere, & alia sexcenta: de quibus copiose in adagiis Erasmi. 8. Vt nomina per verba, sic contra hæc per illa quandoq; sunt formanda, vt senescere per senem, frigere per glaciem, vel aquam frigidam, sapere per saporem, nunciare per tabellarium. 9. Verba temporis partem significantia per actiones fieri tum solidas proferuntur, vt vesperascere per accensionem candelæ, lucescere per eiusdem extinctionem. 10. Priuationem in temperantia repræsentat, primo per actionem vel passionem priuationis modo sumptam, vt cessare per abeuntem ab opere, abstinere carne per abstinētem ab apposita carne. I I. Per abiectionem instrumenti, vt cessare à prælio, per armorum depositionem. I I I. Per insignium ablationem, quod fit in verbis dignitatis, & officiorum priuationem designantibus, vt mouere consulem, regem, &c. per fasces consuli, regi, sceptrum ademptum: 11. Verba motus formant, abiectionem cum loco, vt abire per hominem abeūtem à scamno. 12. Verborum

borum quædam per alia, vt per signa sua sunt exprimenda, vt seditionem facere. Per pulsum tympani, canere clasicum, pro canere tuba, ediscere pro clauso libro discentem. 13. Causæ per effecta formantur, vt lætari pro saltare, rixari pro digladiari, inhabitare domum pro ædificare, & contra, vt viuere pro cibum capere 14. Verba relationem importantia per correlata sunt exprimenda, vt docere per docentem simul & discentem, respondere per magistrum quærentem & discipulum respondentem. 15. Verba generis naturam seu magis communem habentia significationem, per commune minus sunt collocanda, vt laborare, perscribere, portare. 16. Quædam gestibus à plerisq; fieri consuetis effinguntur, vt vereri per fricantem caput, consentire per innuentem capite, nauseam habere, per expuentem, vbi notandum vt gestus adhibitis quibusdam instrumentis formẽtur aptißimi: vt curam habere more vigilis, aut pastoris baculo, vel hasta niti. Et hæ ferè sunt regulæ, quas in formatione verborum obseruare debemus. Cæterarum partium voces, quibus modis figurandæ sint, ex tractatu sequenti patebit.

TRACTATVS III. DE DICTIONIBVS Ignotis & non formatis.

CAPVT I.

De perfectis dictionibus.

DIctiones nobis incognitæ duplices sunt: significantes & non significantes: illis vocabula idiomatis cuiuscunq; nō intellecta, cum vocibus rerum non formatarū subijciuntur: his ea quæ studio & experientiæ causa conficta quandoque proponuntur. Vox ignota, aut certe non formata modis tribus obseruatur, dictione, syllabis, & literis. Dictione iterum duobus modis fit, quando dictio nota & figurata, pro alia ignota, siue figurata ea fuerit, siue non, ob vocis similitudinem ponitur, quod plerunq; contingit in dictionibus plura significantibus, vel in eodem vel in aduersis idiomatibus spectatis. In eodem vel metaphoricè, vt si alea, dum fortunam significat

per aleam luſoriam formetur: vel propriè & ſine metaphora vt ſi malus, a, um, ſubſtantiuum pro adiectiuo, κῆρ pro cor κῆρ id eſt forté ſumatur. In diuerſis duobus itidem modis fit: aut enim in vtrobiq; idem ſignificant, aut diuerſa. Si idem, ſed res non formatas formandæ erunt iuxta præcepta alia, vt abyſſus qua dictione & Græci & Latini vtuntur figurarum puteo profundo. Si res formatas eadem vtrobiq; ratio erit, vt lychnus per lucernam. Quod ſi diuerſa denotent, per notum ignotum manifeſtabitur, vt Mamma, id eſt auia, per mammam, id eſt, vber ἅλς, per Halß/ id eſt, collum: ſic φῶς vir, pro vos pronomen capitur: vbi tamen diligenter cauendum eſt, ne ſcil. plurimum linguarum notitiam habueris, quod latina notaſti dictione, germanica vel alia te notaſſe putes. Hæc de perfectis. Nunc de imperfectis pluribus agendum eſt. Imperfecta diſtinctione quid formatur, cum dictioni dictio non omnino ſimilis eſt, ſed diſsimilitudo quædam, & diſcrimen inter ipſas cernitur: Diſcrimen hoc in tribus deprehenditur, vel in literis, vel in ſyllabis, vel in vtriſq;: In literis vna vel plurib. ſimiliter in ſyllabis idq; tribus in locis, in principio dictionis, in medio, in fine.

Talis autem differentia quatuor de caussis accidit, vel ob literarum syllabarumue abundantiam, vel ob defectum, vel ob diuersitatem, vel denique ob ordinem earundem contrarium. his defectiuis succurritur detractione, adiectione, commutatione, traiectione, de quibus ordine dicendum.

CAPVT II.
De detractione.

Litera vel syllaba, in dictione quam simili formare volumus, abundans detractione remouenda est: Fit autem hæc ob syllabarum aut literarum ordinem modis tribus, aphæresi, syncope, apocope. Aphæresis est literæ, vel syllabæ principio dictionis subtractio, vt aceruus, ceruus, mensis, ensis, tiara, ara. Syncope literam vel syllabam è medio dictionis subtrahit: vt onerare, orare, canabis, canis, σφαῖρα fera, Apocope fine dictionis aliquid detrahitur, vt anastrophe anas, verus, veru. Sed in vsum huius ne confusio fiat, dandæ sunt regulæ, quibus animaduersis, ad dictionem prolatam perficiendam quia addendum esse admoneamur: pro quarum intelligentia, cuiusnam generis sint dictiones pro aliis sumptæ. Primò spectandum est

est: Deinde res tales in partes aptè sunt secandæ, seruato certo inter eas ordine, vt homo in partem superiorem & inferiorem: in caput, pectus, pedes, in caput, pectus, ventrem, pedes & sic deinceps, pro multitudine, vel paucitate syllabarum illius quæ formanda est dictionis. Bestias eodem in suas ordine partes diuides: item herbas & arbores, quæ si diuisionem nobis necessariam non admittent, hominibus seruato partium & syllabarum ordine ac numero iungenda erunt. His annotatis sit regula prima: vt sciamus quæ dictionis formandæ syllaba sit, ablata signum in parte dictionis sit figurantis numero syllabæ ademptæ, aut cui litera subtracta est, respondente erit collocandum: vt si hæc in aphæresi occurrat dictio. Epirus commemoranda, pro ea pyrum certo quodam loco ponam: quæ cum dictionem vnius à fronte defectu literæ nondum perfectam offerat, nidum in illius apice, vel Epopem potius collocatum fingam, cuius admonitu dictioni, siue pyrus literam E, quam Epos suggeret addendam esse facilè recordabor. Altera regula est, vt pro literis vel syllabis adijciendis figuras iuxta doctrinam de literis datam formatas dictionibus addamus, vt cumu-

lus per mulum notatur, si Casparus venabulum aut veru in frontem muli fixerit. Postrema est, qua syllabæ deficientes vi & efficacia memoriæ naturalis notantur. Nam parte dictionis alicuius maiore ab arte hac formata credi vix potest, quàm facilè & quàm expeditè, reliquum quod deest, naturalis memoria suppeditabit.

CAPVT III.

De adiectione.

A*Diectio est, cùm dictioni formandæ litera vel syllaba additur: fit autem vt detractio tribus in locis: in principio, in medio, in fine dictionis. In principio per prothesin, qua litera vel syllaba principio dictionis additur, vt upus, vel pus dat lupus: per, aper, otium, lotium. In medio per Epenthesin, quæ medio dictionis quid interijcit, vt Lais lapis, mera merga, aliũ allium. In fine per Paragogen, qua extremæ syllabæ quid adiungitur, vt colum columba, papa papauer. Vt autem notes syllabas vel literas per figuram hanc additas, esse auferendas, fiet. 1. Vi & acie mentis nostræ. 2. Ablatione membrorũ, quæ inter partes hominis & bestiarum numerauí, vt pus vel vpus, lupus abscisso*

capite

capite notabitur, per, apro capite truncato, colũ, cauda dempta. In medio vix locum habet. 3. Iisdem nota partibus adiecta, quæ ordine vel literæ vel syllabæ demptæ respondebunt: quæ nota fiet colore, vel signo alio quocunque vt macula nigra mergam in medio si notaueris, signum erit à medio literarum aliquam remouendam esse scilicet g. vt maneat mera.

CAPVT IIII.

De commutatione.

Commutatio græcè Antithesis est, cùm literæ vel syllabæ commutantur, idq; vel in principio vel in medio, vel fine. In principio vt illa, olla, nix, pix. In medio, vt alius aluus, dudum, lutum, ritus, limus aut fimus, duabus iunctis figuris. In fine, cœna cera. His duobus posterioribus modis formantur nomina quam plurima græca in os, in us, à Latinis versa, & ea quæ diphthongi cuiusdam in vocalem mutatione discrimen adferunt. Est autem præceptũ hoc admodum facilè, si dictione posita vocales, vel diphthongi, vel consonantes, vel literas simul omnes pro diuersitate dictionum ordine discurrimus, donec verbum nobis inseruiens

deprehendamus, verbi gratia, in voce, simus, formandæ consonantes hoc modo, bimus, cimus, dimus &c. Percurro omnes, inter quas simus & limus nobis inseruiunt. Idem in cæteris obseruandum est. Signum commutationis erit, si rem litera sua prima permutatæ similem dictioni signandæ iunxerit, vt si super fimum scamnum, quis posuerit, s pro f ponendum esse significabit. 2. Fiet, si personam sub literas quæ mutata est, contentam rei applices, vt si Simon super fimum sederit idem indicabit, 3. Memoriæ naturalis tenacitate commutationi ὁμωνυμία, *seu potius* ὁμοιολογία, *quæ est similitudo quædam inter dictiones quam habent vel in principio, vel in medio, vel in fine, vt si arista pro Aristotole, pro* γενεὰ, *id est ætas, genu sumatur. Et notandus hic modus est quam accuratissimè, vt omnium longè facillimus atq; vtilissimus.*

CAPVT V.

De Traiectione.

M*Etathesis seu Traiectio est literarum vel syllabarum ordo immutatus, vt vigro, virgo, coma, maco, mnaus, manus. Fit autem modis tribus. 1. Situs literarum immutatione,*

mutatione, idq; vel in prima, vel in vltima, vel in mediis ſyllabis. 2. Inuerſione literarum omnium quando ſcilicet à litera dictionis extrema ad primam eiuſdem ordine recurrimus, vt aſor, roſa, amor, roma. 3. Traiectione ſyllabarum, vt riſau auris, nuſma manus. Traiectionis ſignum erit vel res vel perſona, cui illa tribuitur inuerſa. Hæc de dictione.

CAPVT VI.
De ſyllabis.

Syllabis formantur dictiones, dum in partes, vel ſyllabas diuiduntur. In partes diuidi tum voco, cùm in duas, tres vel quatuor, partes idiomate quocunque ſignificantes diſtributæ figuris propriis adhibita literarum, ſi opus fuerit, variatione qualicunq; donabuntur: vt verba ſtatuamus, & fundamus, notantur illud in ſtatua & mus: hoc in funda & mus, partes diuiſum eſt. Quod ſi vna tantum, vel altera partibus fuerit figurata, reliquis præceptis infra ſcriptis formabuntur: vt caſus in ca & ſus, quarum poſterior per ſuem, prior per Caſparum auenam ſui dantem exprimatur. In ſyllabas dictiones diuidi tum volo cum neque ipſæ, neq; partes illarum, quid ſignificent: qua-

propter syllabæ dictionibus figuratis, quæ syllabam eiusmodi vnam atq; alteram habent initialem, sunt exprimendæ, vt occurrente dictione hac, alacer eam in a, la, & cer, syllabas diuidam, priores duas dabit ala, postremam ceruus, alatum igitur ceruũ pro ea substituã. Hoc præceptum quia vtile valdè est, quo pacto sit intelligendum, paulò dicam explicatiùs. Colligenda igitur sunt ex dictionario latino, græco, vel linguæ alterius thesauro rerũ ordine alphabetico significatarum vocabula memoriæq; diligenter mandanda: tunc occurrente dictione non intellecta & in syllabas à te discerpta, hæc illis in hunc vsum collectis dictionib formabis nõ quibusuis, sed ijs, quæ ab ijsdem cum vocibus propositis syllabis initium sumunt. Quod si aliqua duas vel plures dictionis formãdæ syllabas ordine referet, eam præ alijs, vt rerũ multitudini parcatur, assumes: vt A, syllabam faciens, velut in amo notat anus, acus &c. Ab, abacus, abi, abies, ac, accipiter, ag agger, al, albumen, allium ar, arbor, arcus: ara, aratrum, vel ara nomen &c. transeundo per omnes ordine literas & syllabas, vbi notandũ est ne in applicatione harum dictionum syllabas imperfectas, sed integras accipiamus, vt pro syllaba ac, accipiter, nõ

acus,

acus, pro an, anſer, vel anguilla, non anethum ſumenda eſt, ne oriatur rerum eò confuſio. Ad augendas ſyllabas propria quoque nomina hominum quamplurimum conducunt, pro quo notandum ſyllabas aut à vocali, aut à conſonante ſumere initium. Si à vocali aut à conſonante & ſyllabam vel per ſe, vel cum adiuncta ſibi conſonãte conſtituit: ſi per ſe tot ex illa reſultabunt ſyllabæ, quot additæ abs te fuerint conſonantes: vt aratro ſi Bernhardum præponas aratorem habes ba, vel bara ſyllabas ad dictionem barathrum, vel ſimilem formandam: ſi Caſparũ cara, ſi Danielem, Dara, &c. Sic Cornelius ſi apexabinem comederit, conficies cape: Si Petrus Pape, item ſi Bernhardus olus habuerit, habebit ſolus: hic ſi anum purgauerit, erit ſanus: Si cum ſequente conſonante ſyllabam vocalis componat, eodem modo ſyllabarũ numerus augebitur, verbi gratia, incudi propoſitus Bernardus formabit bin, Caſparus cin, Dauid din, &c. quibus in dictionib. à tali ſyllaba recipientibus vti ſuo tempore quiſpiam poterit. Quod ſi à conſonantibus initium faciant ſyllabæ augebuntur dupliciter, vel præfixis vocalib. quo pacto vna etiã ſyllaba creſcunt dictiones, vt ſi iohannes ligula vmbilicum ligauerit,

formabis

formabis ilium: vel consonantibus, vt si Casparus rapam Simoni dederit, cras compones. Obseruandum autem est, tum adhiberi maxime propria cum dictio formanda in principio, medio vel fine vocalem habuerit, verbi gratia, Sint formandæ dictiones, amo, emo, imo. Si Albertus monachum percusserit, monedulam habuerit, molamué manu verterit. Prima ab his syllaba sumpta, verbum amo formabis. Si Eberhardus circa eadem fuerit occupatus emo, si Iohannes imo. In his & ex his literis compositis nominibus annotandum est necesse non esse, syllabas dictionis alicuius omnes hac arte componere: non vna vel altera eadem contexta reliquas memoria naturalis officij sui haud memor promptè satis refundet.

CAPVT VII.
De Literis.

PEr *literas hoc loco intelligo alphabeta, ex nominibus proprijs, hominum, animalium terrestrium, aëreorum: Item arborum, herbarum, lapidum, fructuum, vestium, rerum domesticarum & instrumentorum vtensiliũ quibuscunque composita. His duobus vti modis possumus, vel singulis separatim capsatis,*

vel

vel quod melius eſt omnibus miſtim ſumptis, in primæ cuiuſdam ſyllabæ litera locum perſonam ſub illa litera comprehenſam ſubſtituentes. Neceſſe igitur eſt, vt perſonarum nobis cognitarum alphabeta multa habeamus collecta, tanta enim hac in arte illarum eſt vtilitas: vt eius magnam certe partem ſibi vendicent, tùm in locis tùm in figuris ex literis præcipuè formatis. Nunc exempla pauca proferam, quibus moniti ſtudioſi dictiones quaſcunque dummodo proferri ſcribique poſſint, ſimili modo component, illud tantùm obſeruaturi, vt res ſyllabam conſtituentes, actionibus aptè cohæreant, quo citius memoriam, atque felicius excitent, verbi gratia, vocem Ab dat Albertus, Andreas vel alius ſub A. litera poſitus cum bipenni ſtans, cum bombarda, baculo vel re alia. B. ſubiecta Abs idem bombardam explodens in ſimiam, ſuem, vel eaſdem baculo percutiens. Nec, Nicolaus emunctorio candelam emungens, Δῆλος, Daniel ignem excitans dat δῆ, cui ordine ſuccedens Lambertus oua in ſartaginem includet, ex qua actione poſteriorem ſyllabam λος compones: quibus connexis dictionem propoſitam δῆλος formabis. Hoc ſicuti & ſequenti præcepto, partium inflexionem

flexionem respuentium, & pronominum voces formantur: vt Nam referet Nicolaus, aleam, atramentarium, amphoram super mensam ponens. Iam Iohannes idem faciens: tu Taurus vaccam comprimens, vt econtrà. Negotium autē præsens, vt felicius succedat, notandæ sunt regulæ sequentes. 1. Vt personas resq; notissimas sumamus. 2. Vt forti imaginatione exprimantur. 3. Vt eædem syllabam componentes optimè cohæreant. 4. Vt persona agens primum ferè locum teneat proximum res. 5. Quod si duæ fuerint similiter habentes se, prior in persona dextra constituetur, posterior in sinistra, ita vt persona locum primum, res in dextra proximum, vltimum ea quæ in sinistra, teneat, vt Cur, exprimitur per Casparum, cum vera in dextra, & rastro in sinistra ad te conuersum. 6. Si duarum vna ut res locanda, altera vt locus affecta fuerit, illa prior hæc posterior erit: verbigratia, vt in eodem maneamus exemplo: Cornelius vitrum in risum ponet. 7. Si persona assumatur altera, res per accusandi casum elata medium locum tenebit: Accusatiuus enim rei datiuo personæ præcedit: vt Cornelius dat vitrum Reinero. 8. Quod si hæc, vt instrumentū alteri applicabitur eidem illa præibit, vt idem venti-

ventilabro tollit rapas: vinculò rotam ligat: virgis Reinerum cædit. 9. Continens contento præponitur, vt tenet vrna ripas. 10. Sedes personarum rationi accommodata eandem proximè sequitur: vt Iohannes sedens super lapidem dat librum. Vrbano super dolium sedenti. 11. In vocabulis deligendis ne errorem similitudo pariat diligenter cauendum est, vt si taurum sumas, ne te bouem aut vaccam, aut vitulum accepisse arbitreris. 12. Dictionum Synonymia, quæ mater horum errorum hac in arte dici potest summa cura studioq; fugienda est, ne scilicet vocem hanc ensis si sumpserit illam, gladius eiusdem cum hac significationis, te sumpsisse putes. Quod vt vitetur dictiones in vsum hunc delectas in chartam inscribes, & inscriptas crebrò perleges. Euitabitur etiam eiusmodi error si generis eiusdem, rebus accidens qualecunque discrimen aliquod faciens, tribueris, easq; sic distinctas vocibus diuersis abs te exprimendis accommodaueris, vt si ensem pro gladio lato, gladium verò pro tenui & oblongo accipias.

CAPVT VIII.

De placito.

ARbitrarium seu placitum appello, cum quis in dictiones, in arte vel scientia circa quam versatur, vsitatiores, vel alias non figuratas dictionibus figuratis, nominibus propriis personarum, vel signis quibusdam veris aut fictis, expresserit: vt L. Falcid. falce, de Aleator, alea: de Carbon. edict. carbonario. Sic autem A, dabit aper, ab, abbas, clam clauis, palàm, pala, inter, intercula, quomodo præpositiones reliquas, & Syncategoremata quæcunque formare non erit laboriosum. 2. Formantur voces eiusmodi personis certis in harum tantum vsum collectis: vt A, Alberto, ad, Adamo: ante, Antonio &c. ita vt hæ cum illis literis primis conueniant. 3. Per signa excogitata à nobis, vt si quis pro præpositionibus accusatiuum regentibus, stellam auream, collocet: pro iis, quæ ablatiuum admittunt, argenteam: quæ vtrumque partim auream, partim argenteam. Sic aduerbia loci loculis, temporis, horologio confirmandi, sigillo, Demonstrandi, indice. Hortandi, tuba, similitudinis, normá effinges. Coniunctionibus copulatiuis, vinculum

culum quoddam, tribuetur. Disiunctiuis, idem disruptum, Discretiuis, terebrum, aduersatiuis, cornua tauri, cerui, hirci &c. Quod in interiectionum, & in cæteris coniunctionum potestatibus similiter est sentiendum.

TRACTATVS IIII. DE CONIVNCTIS dictionibus.

CAPVT I.

De poematibus.

H*Actenus de simplicibus, nunc de Coniunctis dictionibus, seu de Oratione nobis sermo erit. Orationis autem partes multas esse nemo ignorat, ex quibus eas quæ formationem exigere videntur, singularem, tractandas eligam à poematibus exordium capturus Poemata memoriæ mandantur. 1. Formando primam tantùm cuiuslibet dictionis literam, verbi gratia, vt versus huius:* O mihi præteritos referat *&c. memor sim, vocalem O. Oue certo quodam in loco posita formabo, qua regu-*

la vtimur, cum dictiones versuum initiales figuratæ non sunt. 2. Modus est, quo prima versus dictio figuratur, verbi gratia versus illius: Poma dat Autumnus &c. *recordabor per eum, qui poma pueris distribuit. Et huius vsus est in dictionibus formatis. 3. Cum rei conceptum seu versus totius summam figura exprimimus, verbi causa, vt distichon hoc (* Ne quæ præteriit rursus reuocabitur vnda. Nec quæ præteriit hora, redire potest. *memoria teneã, primo loco aquã & iam ex gutturnio fluere cogitabo: secundo loco horologiũ ponã vbi aqua fluens, prioris, posterioris horologium summã exprimit. Hic rerũ varietas, & multitudo ternis binis, singulisq; quandoq; vocibus in vno versu cõprehensa spectãda est eaq; si naturali memoriæ non confidimus, tot figuris quã multiplex illa fuerit, proferatur, necesse est, vt* Sylua feras cepit, volucres agitabilis aer. *Hic versus duo continet mẽbra, hoc priore illud posteriore hemistichio quib. obseruandis figuræ duobus in locis collocatæ, constituuntur. Fingo igitur syluam esse, vel naturalem quendam saltum ad hoc eligo feris repletũ, supra quem volucres in aëre circumvolitantes memoriæ imprimo. 4. Ex superiorib. compositus est, cum & literæ*

literæ vel dictionis primæ & rei summæ notas excogitamus: qui quidem modus sicut operosior est, ita & commodior, vt pro versu hoc: Nunc duo concordes anima moriemur in vna: *duos mutuo dum complexu hærent, sub nuce mortẽ obire fingã: vbi nux tanquã locus prior, occurrens aduerbium nunc, mors vtriusq; rem versu expressam suggeret. 5. Et postremus est, cùm initiales versuũ literæ, figuris, actionibus aptè concinneq; cohærentib. donantur, quo modo versus 100. locis paucissimis concludes. Exẽpla breuitatis causa prætermitto.*

CAPVT II.

De sententiis & legibus.

SEntentiæ tùm politicæ, tùm sacræ, memoriæ traduntur, rei summam simulacro vno, vel pluribus exprimẽdo adiuncta plerũq; dictionis aut literæ primæ nota, verbi gratia, sententiã hanc: Non omnia omnibus æquè feliciter cedunt, ita formabis. Finge puerorum trium nucibus colludentiũ ternas vnumquẽq; nuces, in scrobem hac inijcere sorte, vt primo omnes tres, secundo duæ, tertio vna tantũ incidat: per nuces, Nõ dictionis primæ recordaberis per ternas nuces, omnia. per pueros tres, omni-

bus, per casum denique nucum diuersum, non æquè feliciter cedunt. Nota autem neque in sententiis, neque in legibus, neque in vlla orationis parte verba singula notis esse exprimenda: sed illa solum quæ rei medullam attingunt quæque diuersitatem tùm qualitate, tùm actione præsertim inferunt. Nam voces reliquæ cum earundem ordine naturali commendandæ sunt memoriæ quæ hac in arte ita exercebit se, vt rei simulacro totius contenta cætera sine vlla verborum mutatione retinere retentaque reddere consuescat. Quod sententiæ plura fuerint membra, plures quoque formæ ponendæ erunt, vt pro illa Matth. 7. Petite & dabitur vobis &c. figuras statuam tres, primam, duos homines, hunc petentem, illum dantem loco primo: secundam, quærentem & inuenientem secundo loco: tertiam, hunc pulsantem, aperientem illum loco tertio. Frequenter autem contingit, vt quot verba tot orationis membra videantur esse. Quare suam cuique notam apponere non inutile quandoq; videbitur: hæc de sententiis. De legibus tria videntur explicanda esse: primum est modus, quo res de quibus scriptæ promulgatæque leges sunt, aptè distinctèq; expressæ nobis repræsentantur:

tantur: alterum eſt legum vel paragraphorum ſingulorum ad locos applicandi ratio : ita vt numerus eorundem obſeruari commodè ſatis poßit. Poſtremum eſt particularum in iure citandarum prompta & expedita retinendi via: de iſtis duobus præſenti capite agam, hoc poſtremo in caput de citatione reiecto. Quod ad leges obſeruandas attinet, nihil ea de re hic dicendum puto, cùm modi quibus id fieri debeat, partim antecedente, partim ſequenti capite à me (ni fallor) traditæ ſint omnes: vt ſunt literæ vel dictionis cuiuſuis legis initialis notatio: rei ſiue negotij principalis imagine viua expreßio: aperta rerum magnitudinis in vnam eandemque legem, aut paragraphum iniectæ partitio: membrorum ſi placuerit ſingulorum explicatio formatióq; &c. ad applicationem igitur legum, & earundem paragraphorum ſi quos habent accedo: vbi curandum inprimis eſt, vt locos ſi illarum meminiſſe ſemper velimus quamplurimos, eoſque immutabiles conquiramus, libri alicuius titulis ſingulis, certis quibuſdam ex iis deſtinatis. Hi denique ſic deſcribendi ſunt, vt effigies ſecundum titulos efformatæ, & locorum diſtinctionem indicent, & in quo titulorum quiſque cu-

biculo, vel domo inueniendus sit, eædem apertè tibi demonstrent, verbi gratia pro titul. 1. lib. 1. ff. statuam iustitiæ super eius in quo disponere titulum illum voluero, cubiculi ianuam mente ponam, pro 9. Senatorem pro 10. Consulem quod de omnibus obseruato titulis, pro quibus formandis te ad præcepta voluntaria, & ad alia tractanda, tria præcepta cōferes. Quo facto cubiculorū locos hominibus, arboribus, animalib. terreis & aëreis, tùm angulis, tùm angulorum interstitijs vbi opus videbitur additis augebis iunctis illis figuris magnis. 4. Circulis in formam crucis terminatis parietibusq; affixis. Præterea opus est vt titulos eos, qui in libro vnoquoq; præscripti sunt, ordine disponas, memoriæq; mandes. Adhæc vtile admodum est, vt locos tituli alicuius legibus aßignatos ita numeris distinguas, vt vnaquæq;, quota sit scire quāprimùm poßis, cui duo conducunt maximè, prius est, si eam cui § vnus vel plures subijciuntur, legem signo quodam ab aliis secreueris. Posterius si figuris, quàm paucißimis leges comprehenderis, ita vt legem vnam § qui additur: alteram, si fieri potest, effigies oculis exhibeat, sed hæc viua voce sunt explicanda.

CAPVT

CAPVT III.

De periodis.

Epistolæ, Orationes Rhetoricæ, Conciones, Disputationes, & sermones alij longiores, ex pluribus compositi periodis hac arte formantur, si periodos aut singulos aut principaliores tantùm figuris exprimimus. Quare si quib. modis has formari conueniat, breuiter declarauerim, & dictæ orationis partes qua ratione memoriæ tradantur, erit explicatum. Periodi aut vna aut pluribus partib. coniunctione discretiua, aduersatiua, causali, conditionali, seiunctis, aut certè ob rei varietatem diuersis cõstant. Si vnam tantùm habuerit vel membra ea vnico conclusa est, vel pluribus, si vno vnaquæq; figura contenta erit: verbi gratia, Periodus 1. Epist. 12. lib. 5. Coram me tecum, formabitur per eum, qui cum epistolam, rubicunda vel tecta facie tradidit, statim abit. 2. Si plura extiterint mẽbra, plures quoq; formari possunt imagines, vt periodus illa, Si te dolor aliquis corporis &c. plura cõtinet mẽbra, licet non plures vna partes, primũ in voce dolor cõsistit, quæ vulnere: secundum in ludos, quæ comœdia, tertium in fortuna, quæ rota, quartũ in sapientiæ

nomine, quæ serpente formatur. Finges igitur quendam Simonem nomine vulneratum, iuxta fortunæ rotam cum Serpente, quam dextra tenet, sedere ludo scenico in loco sequente instructo. 3. Si pluribus partibus constabunt periodi, singulæ pari modo partes figuris donandæ sunt, vt periodus hæc. Si quid est in me ingenij &c. Pro Archia, quatuor absoluitur partibus, quarum tres priores per oratorem oculos igneos, os melle oblitum, librumq́ dextra habentem conformantur: quarta formabitur, si Albertus Liciæ (propter nomen poëtæ) & aristas iuxta se habuerit. 4. Quod si periodus in membra fuerit conscissa minutissima, vt est Inuectiuæ in Cat. 3. periodus 1. membra ea sic figurabis, vt locis quàm paucissimis simulacrorum contenta sit multitudo. 5. Notantur periodi, dum rei & negotij totius breuiter & summatim comprehensi notam statuimus. Videndum autem est, vtrum actio & persona agens in periodo reperiatur nec ne, id si fuerit, imagines per agentes personas formabimus: si hoc, annitendum diligenter est, vt dictiones periodi principales actione edita à persona rei attributa exprimamus. 6. Exhibentur formatis ijs, quibus constant argumentis, figuris, tropis,

pis, aliisque Rhetoricis ornamentis. 7. Primam tantùm cuiuslibet periodi dictionem vt de versibus docui, notando. 8. Coniungendo modos plures.

CAPVT IIII.

De Orationibus & concionibus.

QVia res quæuis ex partibus suis componitur, & quia perfecta illius cognitio ex harum distincta pendet notitia, declarata periodorum formatione, orationes quibusnam modis efformandæ sint, facilè cuiuis erit intelligere. Porrò est alius quidam modus orationibus perfamiliaris de quo breuiter annota: Inspicienda primùm est, & animo sedulo percurrenda res, tota oratione expressa, vel à nobis dicendo mox exprimenda, quæ, qualis sit, quibus personis actionibusque constet, (tum in partes rhetorum proprias) distributa, quid in harum vnaquæq; fiat annotandum, & pro rerum, personarum, actionum, argumentationum, & locorum Rhetoricorum varietate atque distinctione quælibet in suas partes iterum resoluta figuris aptissimis exprimi debet. Sed hic memoriam suam naturalem, dicendique facultatem quisque perpendet, vt pro viribus illius

multitudinem partium locorum, atq; formarũ, vel augeat, vel minuat. Conciones eadem disponendi ratio est, quare ab eo, qui concionator concionem habiturus est, ea in duas, tres quatuor, vel plures pro diuersitate materiæ partes primarias diuidatur, mox harũ vnaquæq; in minores secabitur, sectæq; figuris aptißimis, quoad fieri poterit, expressæ in locos ordine sibi succedentes firmiter collocabuntur. Duo verò de locis hic notanda occurrunt: primũ est, vt partibus maioribus loca propria & rei maximè conueniẽtia tot eligas, quot minorib. in quas illæ distinctæ sunt sufficere putabis: Alterũ, vt locos testimoniis scripturæ, atq; auctoritatibus DD. tract. 1. præscriptos & infra latius explicandos, pro illorum multitudine tribus præfigas.

CAPVT V.

De historiis & negotiis.

HIstoriarum, cùm Ecclesiasticarum, tum politicarum, aliæ sunt vniformes, difformes aliæ: Vniformes appello eas, quæ actione vnica absoluũtur: difformes, quæ actionib. variis ab iisdem personis vel diuersis transactis constant. Mandantur autem memoriæ historiæ, cùm actiones singulas personis, habitu, gestibusque

busq; accommodatißimis, notißimisq; adhibitis, ita instituimus, vt luculenter, distinctè & ad viuum quasi expressæ repræsententur. Quæ res quia per se aperta est satis, non est cur eam exemplis cuilibet paßim obuiis manifestem. 2. Notantur historiæ, cùm vnicam tantùm negotij principalis maximeque notabilis, & hanc à cæteris historiis notam distinguentem ponimus, quod quidem pictoribus, statuariis, acupictoribus in exprimendis historiis vsitatißimum est, verbi gratia, Historiæ de Cyr. 1. Iust. recordaberis, per vitem ex naturalibus virgis enatam, per expositum à pastore puerum, per hunc à cane lactatum, denique per filium patri comedendum in conuiuio appositum. Negotia à te conficienda notabuntur modis itidem duobus: priore, si in locis, vbi eadē agere decreuisti, vel tibi maximè obuiis, eorum signa statueris posteriore, si in digitis & articulis prima cuiuslibet litera depicta notas posueris.

CAPVT VI.

De argumentatione.

ARgumentationis species duas, vt præcipuas, hoc loco tractandas, accipiam Syllogismum

gismum & Enthymema, de illo prius, de hoc posterius agendo. Syllogismi notantur, cùm vel medium vel præmissas formamus. In disputationibus prolixioribus, mediorum tantū imagines effingi, easque in partibus corporis illius hominis quo cum disputamus, vel alterius, eo, quem in partibus humani corporis tradidi, optimè disponi consultum est. In alijs præmissæ vtriusque facta simulacra in corpore humano sic distribues. 1. Ponendo maiorem in pectore, vel ventre, probationes maioris, in dextro hominis latere, minoris in sinistro. 2. Maiorem in dextra, in sinistra minorem ponendo. Rationes vtriusque eodem quo ante collocandæ erunt ordine. Affirmationem, negationemque propositionum aduertes. 1. Signo capitis ab homine, super quem argumentum collocasti, dato. 2. Signis ijs, quibus in absoluendis damnandisq́ reis antiqui vsi fuere, vt affirmationem calculo albo, negationem nigro, illam, faba alba, hanc, nigra, illam creta, carbone hanc notando.

CAPVT

CAPVT VII.

De ratione dictandi

DIctandi ratio, qua res plures & diuersas eodem dictamus tempore, duplex est, & scripto & ex memoria: illa quidem simplicior faciliorque, hæc vero difficilior, atque artificiosior est. Qui igitur diuersas scriptoribus diuersis prælegere vult materias, primo curabit vt folia chartæ, pro vnaquaque materia comparata multitudine dictionum, aut saltem sententiarum, membrorum, versuum æqualitate, quantum fieri potest, conueniant. Deinde membra versus aut sententiarum folij cuiuslibet virgulis longioribus separatim distinguet, & distinctas numerorum formas notabit. 3. Membra singula singularum memoriarum, materiarum sic distincta & annotata hoc ordine Scribis, dictabit, vt primo membrum 1. fol. 1. vbi prælegerit, mox secundo membrum 1. folij seu materiæ 2. Subijciat tunc tertio folij 3. membrum 1. Hinc quarto fol. 4. membrum quoque 1. Quo facto ad folium primum rediens ex eo Scribæ primo, membrum secundum leget: post hoc secundo folio, Secundo secundum: hinc tertio, secundi folij tertium, &c.

&c. quam viam si tenuerit efficiet vt scribarũ vnusquisq; materiam sibi prælectam eodẽ tempore habeat absolutam. Ex memoria dicturus locis pro materiæ diuersitate sibi propositis vnam post alteram iam iam prælectam, acie mentis leuiter applicata mandabit ordinem illorum perpetuò iterando.

CAPVT VIII.

De tempore.

QVoniam ad citationem cùm tempus tùm numerus maximè pertinet, de duobus his priusquàm de illa dicam, necesse est. Tempus communiter acceptum formabis sphæra Mathematica, siue Astrolabio ab angelo celerrimè circumacto. Partes eius duplices sunt, aliæ essentiales, accidentariæ aliæ. Essentiales sunt præsens, quod per caput Leonis, vel per dictam sphæram ramusculis cerasi ad axis extremitatem, vtramque cum fructu positis exprimitur: præteritum notatũ per lupum, vel caput illius per eandem sphæram ramusculis arescentibus deformatum: futurum à cane lingente, à gallo vel pauone canente, à sphæra cum ramusculis pulchrè florentibus exhibitum. Hæc de partib. essentialib. Accidentariæ temporis partes multæ

tes multæ sunt, ex variarum qualitatũ obserua-
tione desumptæ, quarum præcipuæ sunt hæ:
annus, qui per serpentem caudam sibi morden-
tem vel per circulum aureum magnum expri-
mitur. Lustrum, quod gesticulatoribus: Decen-
nium, quod puero super baculum equitante, vel
alpha, aureo colore picta, &c. Vide pictas de
hominum ætatibus imagines & figuras, qui-
bus notari maiores annorum numeri solent.
Mensem vniuersaliter sumptum: Luna vt cau-
sa illius, aurea ostendet. Menses ipsi modis va-
riis exprimuntur, figuris Calendariis de men-
sibus frequenter appictis: vt Ianuarius, sene
igne se calefaciente, vel epulante. Februarius,
semente &c. 2. Effectis suis potiorib. vt Aprilis
gramine: Maius, floribus: October, vuis &c. 3.
Per figuras 12. signorum Zodiaci, vt Ianuarius
per Aquarium, Februarius per Pisces, Martius
per Arietem &c. Exhibentur deniq; festis præ-
cipuis, mensibus singulis incurrentibus, de
quibus calendarium consule. Dies, 12. hora-
rum tabula notabitur, si generaliter eum sum-
pseris. Hebdomadales signabuntur dies, 1. Septẽ
planetarum figuris. 2. Characteribus planeta-
rum. 3. Metallis ijs, quibus Planetæ influunt.
4. Christianorum more, dies Solis resurrectio-
ne Domi-

ne Domini: Lunæ, maledictione fici: Martis, nuptiis Canæ Galileæ: Mercurij, concilio & venditione Christi: Iouis, Cœna Domini: Veneris, crucifixione: Sabbathi, sepultura eiusdem: Noctem indicabit candela, Lucerna, ampulla: horam, quoduis horologiũ: Momentum, ictus oculi.

CAPVT IX.
De Numeris.

NVmeri modis annotantur tribus. 1. Suis ipsi notis colore nigro, rubro, vel aureo magnitudine debita formatis. 2. Figuris artificialibus, vt vnitas numeri principium, hasta, columnula, virgula, baculo. Duo, pisce os aperiente, furca, bicuspide, patibulo duabus columnis fulto, animali bipede quocunque: Tria à tripode, à sede tribus fulta pedibus, à furca tricuspide, ab equo trahente carrum, à patibulo duobus postibus erecto, fureque in eo suspenso, vel ab alio tribus fundato columnis offeratur. Quatuor dabit scamnum vel mensa, feratrum, animal quadrupes, currus, &c. Quinq; exprimet figura quinque habens angulos, monotrochiũ, vel forceps ansis erectis, diductisq; equus currum trahens. Sex, formabit tripus

super

super tripodem, sedes quæ constat tribus pedibus super aliam totidem suffultam posita: Animal quadrupes, & cornutum: Limax è testa caput exerens: currus à duobus equis tractus. Septem, exprimuntur gnomone, duobus ostij angulis, patibulo militari semidimidio, curru à tribus equis tracto. Octo, exhibent duo annuli, duo globi, duo poma, duo scabella, vno super alterum vbiq; posito. Nouem efficies tripodibus, vel sedibus, tripedalibus tribus sibi mutuò impositis. Tripode vel sede tripedali ab animante quadrupede cornutoque, vt boue, ceruo, &c. cornibus portata. Decem dabit crux, anguis sibi caudam mordens, pepo, caput papaueris, pomum, circulus, annulus, globus si vnitatibus postposueris. Cæteras numerorum species ex harũ inter se varia dispositione formabis: Huc pertinẽt, quæ numerum 50. denotant, vt Ocrea, pes, securis, gnomon, alarium, &c. vt L. posita. Centũ repræsentabit semicirculus, cornu arcus, calx ferratus. Quingenta vas cum duabus ansis, arcusq; Turcicus vt D. collocatus. Mille, anchora & alia, vt M. formata. 3. Formabunt numeros artifices 10. vel. 14. diuersi, numerum ex primis decem certum vnusquisq; referens, quæ res ad figurandas idonea admodum est, ita vt

adhibito dimidiæ horæ exercitio, res miræ vtilitatis efficiatur.

CAPVT X.

De formatione particularum citationis maiorum.

PArtes citationis sunt duplices, ampliores siue maiores, & angustiores siue minores. De his igitur dicturus, primò Maiores quæ sint, & quomodo formentur, declarabo. Deinde quas angustiores vocem, quænam eæ sint, quot modis notandæ, aperiam. Demum quæ locis ratione citationum particulæ debeant applicari similiter ostendam. Ampliores voco partes, auctorem & opus, siue librum auctoris. Auctor modis exhibetur quatuor. 1. A sua imagine, vt S. Matthæus ab angelo, Lucas à boue: Sic Dauid, Aristoteles, Galenus, Iustinianus, & alij à simulacris suis, si nobis ea fuerint, repræsentantur. 2. Ab opere, quod conscripsit: hoc quemadmodum fiat statim dicetur. 3. A libro figuræ auctoris iuncto, vt S. Marcus per Leonem, & librum obseruabitur. Quod si libri eiusdem extiterint plures, distinguendi erunt in hunc modum, primo libri cuiuslibet notatione auctori adiuncta, de qua infra. 2. Ge-

stibus

ſtibus aut ſignis eidem pro librorum diuerſitate diuerſis attributis, verbi gratia pro Euangelio S. Iohannis, ipſe concionabitur: pro Epiſtola, ſcribet: pro Apocalypſi, mentem & oculos in cœlum erectos habebit. 3. Diſtinctione librorum colore diuerſo aſsignata, verbi gratia, volumen Oratio: Cicero: primum, colore aureo, alterum rubeo, tertium viridi erit infectum. Quartò, numero libris inſcripto, vt volumen 1. vnitate in libri ſuperficie poſita, ſecundum binario, ternario tertium. Offertur demum ſcriptor vel auctor per aliam perſonam nomine & officio ſibi non diſsimilem: vt Bartolus per eximium Iuriſperitum, Galenus per Medicum præſtantiſsimum &c. Liber modis obſeruabitur ſeptem. 1. Suaipſius figura, quod fit, cum eos qui ob lectionem aſsiduam, vſumq; quotidianum nobis notiſsimi ſunt, in locum vi mentis ponimus. 2. Cognoſcitur per auctorem, quod fieri ſolet cùm vnicũ tantum alicuius extat opus. 3. Per aucterem & librum ſi notus vterq; fuerit. 4. Per inſcriptionem ſeu titulum libri, vt liber Ariſtotelis de cœlo formabitur per librum ſolum, vel per Ariſtotelem cum libro, qui ſtellis depictus fulgebit. 5. Per libri materiam, quæ cum inſcriptione

ſæpe conuenit: quæ ſi partialis, multiplexq́ʒ in eodem reperiatur libro, hic per vnamquamq́ʒ illarum, ſi notabiles & diſtinctiuæ fuerint, poterit aſsignari, vt Primus liber Moſis, per hominis creationem, per caſum primorum parentum, per fratricidium Cain & Abel: per diluuium ſeu per Arcam Noe: & per Abrahamum filium occidentem, & per alias ibidem repertas hiſtorias: quod idem in omnibus aliorum auctorum libris obſeruatu dignum eſt. 6. Formantur iuxta præcepta de dictionibus ignotis data: vt Ariſtotelis Logica, lorica: Phyſica, veſica: Digeſta, digitis in manu ingentibus. Pandecta, pane, panno &c. Authen. aucupe auro, aue, &c. Codex, codice propriè ſumpto, vel cortice. Feud. funda, fidelia, fide, &c. 7. Tandem per ſigna conſueta ſeu arbitraria: vt Digeſt. ſeu Pandect. ff. vel x. vel per librum panno Pantheræuè pelle obductum: Ius canonicum ſeu pontificium vel per ingentem librum, à canonico quodam, aut à S. Pontifice monſtratum, ſicuti ciuile, per librum à ciue tentum, & idem de omnibus omninò libris iudicium eſt. Nunc ad alteram citationis partem procedam.

CAPVT

CAPVT XI.

De formatione particularum minorum.

ANgustioris citationis partes eas dico, quæ amplioribus, vt particulæ adiunctæ, rei alicuius tractatum in minores quasi partes dissecant: quales apud Theologos sunt dist. quota: apud Iurisperitos num: lex, §. &c. cum prima L. aut §. dictione. Apud Medicos cap. Sect. Aphor. &c. Apud Philosophos text. com. &c. de quibus in sequentibus. Hæ & similes citationum formulæ modis formantur quinque: 1. Si maiusculis eas in libris vel coronis, caracteribus iis, quibus ab auctoribus præscribi solent, depictas finxeris. 2. Primas earum literas literis instrumentalibus à Rosello l. 2. depictis exprimendo. 3. Easdem literis vario membrorum situ, formatis effingendo, de quibus idem: 4. Per ea corporis humani membra quæ syllaba vel litera vna, vel pluribus cum illis conueniant, vt si quis pro art. arteriam digiti, vel aurem tangat, pro part. papillam, barbam, poplitem &c. pro quot. costam, pro membro mentum, pro dist. digitum erigat vel dentes monstret: pro quæst. sinistrum extendat brachium:

chium: Respub. ostendent renes: cap. caput: can. capilli, vel cani potius: leg. pollex, lingua, labium: parag. palatum, pileus: tib. tibia, tempora: collat. collum: vers. vertex, venter, vmbilicus. gloss. genæ, genu. cons. collum: tract. testiculi, tali: sect. spina, scapula: nu. nasus &c. com. coma id est crines prolixi: tex. tempora &c. Iuxta præcepta de dictionibus non intellectis antea proposita, vt quod quadra, quasillo: distinct. discerniculo, disco: part. chartula, parma: art. arcu, arca: memb. mensa, mentha quæst. quercus ramusculo vel veste: respons. regula, remo, rectè: conclus. claustro, compede, pugna: cap. capra, catto: can. cane, candela. Consul dabit concha & interdum consul. num. nux, nummus leg. fex lilium, veruex, halec. §. graphium, graphiarium: tit. vitulus, tibia, titio: vers. verticulus, veru, virgula. Glossa formatur globo, glomare, glutine: tract. trabe, trocho, trochylo: sect. serra, securi, scisso stramine, text. textoris quodam instrumento, tessera, testa: com. commento, coma cochleari. Princip. monstrabit radix, fax, cor. Fin. funis: infin. infula, infundibulum: dist. digitus, digitali ornatu. Eodem, tandem per cotem annotabis.

CAPVT

CAPVT XII.

De applicatione dictarum particularum ad locos.

QVod ad dictarum particularum ad locos applicandarum rationem attinet, manifestum inprimis est, earum se vel vnicam tantùm offerre, vel duas, vel tres aut plures frequẽter concurrere. Notandum deinde est, illas vel homini, vel parieti, vel vtriq; posse applicari. Hæc vt intelligantur exempla quædam iuxta particularum auctionem ordine proferam. Primus igitur modus quo solùm auctor, vel liber eius citatur, satis apertus est, cùm nimirum auctoris simulacrum, vt hominem alium eiusdem nominis, officij, dignitatis aut facultatis pro auctore ipso à nobis semper habitum loco accommodemus, iuncto ei, si necesse fuerit, signo quodam auctoris nomen indicante. Si partes iungantur duæ, maior scilicet & minor, vel vtræq; super hominem locabuntur, vt si dicatur Matth. cap. 3 D. Matth. vel alius vt iam dixi, pro eo cum angelo constitutus, super sedem tripedalem sedebit, aut digitos tres eriget, aut totidem caput tanget, vel numerus tabulæ oblongæ circulis vacuis, albisq; pulchrè distinctæ pa-

rieti affixæ, vel personæ in manum datæ, inscribetur, particula capitis prætermissa. Nam aduerte, si operis alicuius distinctiuæ particulæ tibi notæ fuerint, eas formari aut exprimi superuacaneum penitus esset, cum plus officiant memoriæ quàm prosint. Quod si auctorem sequatur solùm nomen libri, hic vel notus tibi erit, vel ignotus: si illud, dabitur iste liber in manū auctori: sic hoc, figura titulum libri nominatū referens, ei iungenda erit. Si partes duas ampliores vna sequatur angustior, eodem vt supra modo formabuntur, vt Aristoteles de cœlo, lib. 2. notabitur per librum ab Aristotele conscriptum, mihiq́; notum, cum binarij numeri inscriptione: vel per librū stellis vndiq; pictū, ab eo qui tollit duos digitos: aut animal bipes, penes se habeat, exhibitum. Quod si duæ fuerint minores, cum maiore in medio posita, vt l. 3. vel l. testium ff. de test. hominem cum libro, ff. tibi notum nota, vel eo, de quo dictum est, discrimine à cæteris seiuncto, perpetuum habebis, super quem particulas eiusmodi colloces. Pendebit igitur huic ex illo liber, dextraq́; furcam tricuspidem, tripodem, vel digitos tres erectos tenebit, aut tandem arietis testiculos in eadem manu, cuius index annulo aureo ingenti erit ornatus,

ornatus, habebit, quemadmodum in ſiniſtra teſticulos alios animalis eiuſdem vel alterius. Præterea ſi quatuor erunt particulæ, vel ad pauciores reducentur, vel formabuntur omnes: ſi illud, vt prius diſponentur: ſi hoc, tribuentur homini ſic, vt particula prima, ſiue liber in pectore ponatur, ſecunda in manu dextra, tertia in capite, in manu ſiniſtra quarta, vt l. ſeruus 7. ff. de bon. poſſeſſ. dextera ſeruum quem noſti percutiet is, qui gnomonem ſuper caput erectũ habet, ſiniſtraq́; ſportulam, pomis (pro bonis) portat. Idem fiet, ſi §. legi additur vt l. Bona §. Inuito aut ff. eod. poma dextra feret, capite vitem cum aue, ſiniſtra cotem. Ad hæc ſi particularum quinq; fuerint, ſecundam in pede, tertiam in manu dextri lateris, ſicut quartam in manu, quintam in pede ſiniſtro locare poteris, vt ſi locus prædictus, iuncta §. nota rurſus alligatus ſit ad pedem dextrum, vel in ſacculo caligarum poma deponam, pro §. pileum in manu dextra, pro inuito auth. vitem cum aue in ſiniſtra: pro eodem, cotem ſiniſtro annexam eſſe pedi comminiſcatur. Inſuper ſi partes fuerint 6. capitis verticem dictis membris adiunges: vt l. Nauis onuſt. 4. §. cum autem 2. ff. de leg. Rhod. nauem rebus quibuſuis onuſtam ad dex-

tram illius pedem aduectam finges, qui dextra animal quadrupes tenet, capiti verò cauteriũ, dictiones has, Cum aut. per contractionẽ referens impressũ habet. sicut in sinistra furcã bicuspidẽ, & ad pedẽ sinistrum, lebetem, lagenã, vel halecem super rotam positam. Tandem si plures addere particulas, vt l. vt §. & alias volueris, in plures quoq; partes hominem diuides.

CAPVT XIII.

De conditionibus figurarum.

QVemadmodum supra locis conditiones quasdam aßignaui: ita hoc loco, proprietates alias circa figuras diligenter obseruandas tradam oportet. Prima igitur omnium est, vt res prius, quam figuris conseruantibus, donetur his, terue tardè & distinctè, vt Cicero vult, perlegatur. 2. Quærendæ eligendæq; sunt, formæ rebus conuenientißimæ, notißimæq;, vt earum admonitu in rei memoriam facile deueniamus. 3. Figuris motus & actio tribuenda est: nam res otiosæ, immotæq; iacentes, memoriam minùs acriter excitant. Quare notandũ est, rem esse vel motus subiectam, vel eiusdem expertem: si illud, per se quid res agere fingetur, vt Vulpes Gallinã portabit, Ouẽ Lupus: si hoc

si hoc, rebus mobilibus per se attribuentur, & ijs præsertim, cum quibus iunctæ commodè instituatur actio. 4. Formæ sic operabuntur, vt effectus, vel delectationis, vel tristitiæ, vel iræ, vel indignationis, admirationis, commiserationis, aut alios qui sunt generis eiusdem, moueant. 5. Non vna, vni tantum loco, rei semper infigenda nota est, cùm figuræ plures, lentè cogitatèq; formatæ vnum in locum transferri queant: quod in personis collocandis rectè fit, cùm maiori minores plures subiungantur. 6. Figuris ijs vtemur, quæ locis naturali quadam communione conueniunt, vt dum Sutoris quid officina locare vis, instrumentis in ea repertis vti studebis, quò fit, vt naturalibus, siue artificialib. potiùs, quàm fictis vtamur simulacris. 7. Neq; altæ nimis, humiliores, quàm par est, erũt imagines, cùm vtrumq; genus oculos grauet. 8. Cauendum summopere est, ne res eadem eodem vel sequenti die ad res diuersas exprimendas: neq; pro eadem sæpius in eadem materia sumatur: quod in repetitione confusionem facilè pareret. Quapropter pluribus diuersisq; figuris abundemus necesse est. 9. Rem tamen eandem accidentibus, vel modo quodam adiuncto sibi diuersam sæpius, vno eodémq;

tempore

tempore accipi, vel pro eodem vel pro diuersis nihil prohibet. 10. In figuris earum rerum, quas firmiter in animis nostris diuq; hærere cupimus collocãdis, repetitio est longè vtilissima: Vt forma secunda posita, simulacrum primum, priusquã ad tertium formandũ progrediamur, inspiciendũ rursus est, seduloq́; perpendendũ. 11. Notandũ præterea est & id de quo crebra facta est mẽtio, eorũ solum membrorũ imagines formãdas esse, quæ vel diuersas sententias inchoant, vel res distinctas, maximeq́; inter se cohærentes significant: quæ enim eiusmodi, vt naturali inter se vincta constructionis copula sint, eorum diligens memoria naturalis custos erit.

CAPVT XIII.

De remouendis simulacris.

R*Erum earum, quas simulacris donatas hac arte ediscimus, duo sunt genera: vnum stabilium & perpetuarũ: alterum mobiliũ & temporariarũ. Erunt igitur illarũ rerũ, quas firmiter semper in memoria hærere volumus, loci & situ suo, ac figura, & qualitate imaginum vniformes ac immutabiles: harum verò quas excidere facilè patimur, simulacrorũ varietate mutabiles, sibiq́; semper dissimiles. Quare vt ad*

proposi-

propositum veniam, simulacra quo pacto à locis vsui quotidiano destinatis aboleri, dimoueri, extirparique possunt, hoc capite vbi breuiter ostenderim, finem huic libello imponam.

Primum si rerum effigies, locis non firmiter admodum applicatæ fuerint, delebit eas breue temporis spatium. Præterea quemadmodũ ad rem memoriæ dandã, animi firma vtimur applicatione, ita hæc ad eandẽ obliuione perpetua obruendam adhibenda erit. Ad hæc figuras à tonitru factas, quassatasque, à fulmine tactas & combustas, à grandine discussas ac prostratas, ab imbre repentino ac præcipiti abstersas: ab vndarũ augmentatione ac fluxu à cubiculis penitus remotas, excogitare consultum est. Idem, homo vnus vel plures ebrij, turbulenti, & furiosi præstabunt si eos armata manu in cubicula irruere, magnoque impetu ac conatu, simulacra quæque præcipitare, forasque eiicere finxeris. Adhæc ancilla cubicula scopis verrens, imaginesque locis suis forâs motas, vna cum quisquiliis exportans, idem efficiet. Pictor tandem nouum cubiculis colorem inducendo figuras delebit omnes.

FINIS.

